

Johannes Eskuche

## **Johannis Eskuche, Ministri Evangelii, Miscellanea Sacra, maximam partem Prophetica**

Embdae: Tremel, 1694

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796630526>

Druck Freier  Zugang







*Fc. 4132.*







JOHANNIS ESKUCHE,

*Ministri Evangelii,*

MISCELLANEA

SACRA,

maximam partem

PROPHETICA:



*Domino V.  
vesem. Condit.  
fuo 1. d. d. An*

4132  
EMBDÆ, 1.


4132.

Apud Eddonem Tremel, 1694.



*Continentur hoc Libello.*

- I. Dissertatio super Daniel II. 44. 45.
- II. Dissertatiuncula super Apoc. VII.  
9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.
- III. Explicatio Rom. VIII. 15.
- IV. Explicatio Phialæ Septimæ.
- V. Explicatio Jes. II. 3.
- VI. Dissertatio *Prophetica* de Religionis Christianæ defensione & propagatione.
- VII. Dissertatio *Prophetica* de Doctrina Christi & Apostolorum.



# LECTORI MEO.

**E**Xhibeo tibi Libellum maximam partem Propheticum, cui componendo haud exiguum laborem impendi.

Vereor autem, ne multi me reprehensuri sint, eo quod Ecclesiam Evangelicam scortationis cum Babylone accuso: eique divinum iudicium, tam grande peccatum necessario sequens, ex prophetiis propono.

Verum enim vero, quare non liceat nobis ex prophetiis Ecclesiae Evangelicae peccata sua commonstrare, & iram Dei propter ea imminentem, denunciare?

Certe Jes. LVIII. 1. jubemur *clamare pleno guttore, tanquam tuba exaltare vocem nostram, & indicare populo Dei defectionem suam, & domui Iacob peccata sua.*

Et quidem propterea, quod plurimi de populo Dei & domo Jacob defectionem & peccata sua non agnoscant.

Quod ipse Deus satis indicat, quum statim addit vers. 2. *Atqui me quotidie consulunt, & cognitione viarum mearum delectantur, tanquam gens, quae iustitiam facit, & judi-*



## Præfatio

*cium Dei sui non relinquit, flagrant me iudicia justitiæ, aditum Dei delectantur.*

Hæc enim verba docent, plurimos de populo Evangelium æternum profitente conflueri quidem quotidie ad audiendum Verbum Dei ex ore Pastorum, idque legere, & opera Dei cognoscere, seque propterea pro gente justitiam Dei serio quærente, & Doctrinam Dei a traditione hominum, veritatem a mendacio, fideles ab infidelibus, sanctos ab impuris discernente confidenter habere; etiam Deum orare, ut vindictam sumat de hostibus Ecclesiæ, adeundo ipsum tanquam Judicem justissimum pariter ac potentissimum attamen eisdem Pastorum verba sine examine recipere; ad Scripturam<sup>vm</sup> lectionem debitam diligentiam & attentionem non afferre, ac proin potentiam earum ignorare, facta Dei cum prophetiis, in quibus luculenter prædicta sunt, non comparare, adeoque nec digne considerare, justitiam Christi per sinceram fidem haud amplecti, neque justitiæ servire, iudicium per conversationem cum probis, & fugam improborum non exercere, hostium Ecclesiæ illuminationem ac salutem a Deo non petere, sed tantum deletionem illorum ab ipso postu-



## Ad Lectorem.

postulare, atque ita irato animo ad Deum accedere.

Cum igitur populus Evangelicus peccata sua atque errores non videat, an qui ea animadvertunt, illa dissimulare, aut eorum comprobatores esse debent? Neutiquam.

Potius debent populum Evangelicum de peccatis suis atque erroribus non minus leniter, quam prudenter commonefacere, atque hoc medio *servare, ex igne rapientes*, Jud. vers. 23.

Quod quum faciunt, vero eum amplecti amore deprehenduntur.

Nam verus amor proximi est, ejus salutem omnibus modis ac viis quærere ac promovere.

Quemadmodum contra proximi odium censendum est, salutem ejus negligere, aut eum *perdere*.

Quod facere putandi sunt qui *consumunt pulvillos sub omnibus axillis manuum, & faciunt*

## Præfatio

*ſunt culcitraſ ad caput omnis ſtatura ; idque pro pugillis hordei, & fruſtis panis, h. e. qui peccantibus, & in peccato perfeverantibus blandiuntur, ſtudia ipſorum ac facta approbant & laudant, eos conſolantur, ſpem remiſſionis peccatorum ac vitæ beatæ adipiſcendæ eiſ faciunt ſicque eos in malitia confirmant, eo tantum fine, ut aliquam mercedem, quam Scriptura *μῆδος ἀδινίας* mercedem iniuſtitie appellat, inde reportent, Ezech. XIII. 18. 19. ubi huius facinoriſ femina prophetanteſ ex corde ſuo accuſantur.*

Atque hæc ſufficiant refellendiſ illiſ, qui Viriſ piſiſ inſultant, cum Eccleſiæ Reformatæ peccata ſua, in ſpecie ſcortationem cum Babilone, ex prophetiſiſ, ad noſtra tempora pertinentibuſ. ante oculoſ ponunt.

Quod jam attinet denunciacionem iudicii Dei in eoſ, qui gratiam Evangelii ad meram libidinem & peccandi libertatem tranſferunt, quomodo ea recte culpari poteſt ?

Nonne debemus juſtitiam Dei, quæ in puniendiſ hypocritiſ, Chriſto mentientibuſ & ſanctum nomen ejuſ temere nuncupantibuſ, elucet, confiteri ac celebrare ?

Nonne



## Ad Lectorem.

Nonne officii nostri est, populum Evangelicum, maxima sui parte Verbum Dei negligentem, *concupiscentiam carnis oculorumque, & fastum vite* persequentem, Regnum vero Christi insuper habentem, & *ἰδίον ἐπιζητούν* propriam constabilitationem non quaerentem, iudiciorum Dei ex prophetiis propositione ad faciendum voluntatem Dei, & avertendam hoc medio iram ejus, a longo jam tempore ardentem, valide incitare?

Præterea, si populo Evangelico ingrato, & Dei fere oblito immunitatem a iudiciis Dei promittamus, nonne imitatores erimus falsorum istorum Prophetarum, qui fecerunt oberrare Israëllem dicendo, Pax, cum non esset pax? Ezech. XIII. 10. & 16.

Sed, an illi, qui Viros doctos propterea reprehendunt, quia in prophetiarum expositione Dei iudicia, in Ecclesiam Evangelicam, propter peccata ejus, adhuc exercenda, non sine metu ac tremore, ostendunt, adeo clementes sunt, ut nemini malum denuncient? Non putamus.

Animadvertimus enim, illos omnes calamitaeas,

## Præfatio

mitates, tanquam ex Verbo Dei, comminari hominibus, in cognitione salutaris veritatis proficere, in viis Dei ambulare, & Regnum ejus propagare satagentibus.

Quo ipso tamem culpam contrahunt *illarum feminarum, quæ olim in Israëlè mortem denunciabant animabus, quæ mori non debebant, & hebetabant cor justî mendacio, cum Deus id non afficeret dolore, Ezech. XIII. 19. 22.*

Atque hi sunt illi, qui prophetiarum, de Regno Christi sub N. T. agentium, meditationem atque explicationem inutilem audent appellare ac sterilem.

Nempe quia Ecclesiam Reformatam non semper laudant, neque ei meras contra hostes victorias promittunt.

Immo perniciosam solent vocare dictarum prophetiarum scrutationem & expositionem istius modi homines; idque non aliam fere ob causam, quam quia magnas Ecclesiæ Reformatæ angustias prænunciant.

Ipsi interim fugientes umbras sectantur,  
seque



## Ad Lectorem.

seque euro pascunt, dum ea tractant studia, quæ Ecclesiæ ædificandæ, & finibus Regni Christi proferendis vel nihil, vel certe parum inserviunt.

Deinde obscurissima in nocte versantur, plane nescientes diem visitationis suæ, & tempus liberationis Ecclesiæ ab hostium violentia ac furore.

Quod vel in de apparet, quod omnia, quæ mundus & Ecclesia patiuntur, præter expectationem ipsorum eveniant.

Quod sanè non fieret, si quidem expectatio ipsorum in Sermonè Prophetico fundata foret.

Sed jam missos faciamus istos homines; qui ut speramus, tandem aliquando agnoscent, se hac in parte errasse, inque Viris probis morose culpasse, quod impense laudare in illis debuissent.

Erunt fortasse, etiam non pauci Babylo- nis Amasii: qui dicant, nos nimis dure Babylonem tractare.

Alf

## Præfatio.

Ast illis breviter respondemus, debere nos obtemperare cœlesti illi voci: *Reddite Babyloni, quemadmodum & ipsa reddidit vobis, & reduplicate ei duplica secundum opera ejus. In poculo, quod infudit, infundite ei duplum. Quantum glorificavit se ipsam, & lascivivit, tantum date ei cruciatum ac luctum: quia in corde suo dicit: Sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo, Apoc. XVIII. 6. 7.*

Hoc est, sicut Babylon vos vexavit, falsis suis doctrinis, idololatria, superstitione. & perpetuis persecutionibus: ita quoque vos eam vexate sollicita fuga omnium errorum stercorumque ejus, & sincera averlione communionis ejus ac peccatorum.

Nolite ipsi grata facere, ne videamini illam diligere.

Imminuite Regnum ejus Studiose propagatione Regni Dei; & clarissima uberrimaque cunctæ veritatis ex Scripturis demonstratione, mendaciorumque ei oppositorum validissima refutatione, atque etiam ambulatione Evangelio digna homines a seductione ejus ac violento in conscientias imperio liberatos ad veram Ecclesiam adducite.

Sicque



## Ad Lectorem.

Sicque vos majus ei inferte damnum, atque ipsa vobis, & patribus vestris fidelibus intulit.

Immo in id sedulo incumbite, ut postquam multorum seculorum decursu ingenti gloria exultavit, & insignem lasciviam exercuit, nunc dandum aliquando ex conspicatione felicissimi status Ecclesiæ Christi summum animi cruciatum persentiscat, & ob sui oblivionem, contemptum, ac perfectam derelictionem perpetuo in luctu versetur.

Idque propterea facite, quia cogitat, se adhuc illustre Regnum obtinere, & amassis abundare; & quia sibi firmiter persuadet, & jactat audacter; quod gloriam suam, auctoritatem ac Regnum in bona atque animas hominum nunquam sit amissura.

Vides, Lector, nos jussu ipsius Dei, atque adeo optimo jure Babylonem duriter tractare, & cruciatu afficere.

Restat, ut adhuc pauca de libello meo dicam.

Invenies in eo aliquot orationes sacras, in celebribus Ecclesiis a me habitas; in quibus  
eden.

## Præfatio.

edendis doctissimorum Virorum exemplum secutus fui. Quamvis etiam peculiarem, eamque gravissimam causam habeam illas edendi, quam hic proferre, nihil attinet.

Deinde animadvertes, Dissertationes in Libello meo non esse conjunctas. Quod, fateor, pro ordinis defectu habere aliquis posset.

Sed sciendum hic, meo quidem judicio, ordinem postulare, ut Explicationes singularium Scripturæ Locorum non, separentur.

Denique conspicias, Libellum hunc, per meam absentiam, communem sortem subiisse, dum in eo non pauca, atque illa interdum satis crassa errata occurrunt: immo etiam quædam plane omissa sunt.

Unde te perquam officiose rogamus, ut antequam te lectione Libelli nostri accingas, errata, a nobis notata, perlegas. Ne, quod sæpe fieri solet, menda Typothesæ imputanda nobis temere & injuste attribuas.

Quod si labor noster Viris doctis non profusus



Ad Lectorem.

sus displicuerit edemus aliquando, Deo vitam  
& scribendi opportunitatem suppeditante,  
OCTO LIBROS de Regno Christi  
sub N. T. Summo studio elaboratos, plu-  
rimarumque & difficillimarum Prophetia-  
rum, ad tempora N. T. spectantium, lim-  
pidam explicationem complexos. Vale, Be-  
nevole Lector, & in cognitione Justitiæ  
ac Regni Christi nobiscum quotidie profice.

J. E.

---

CARMEN

ad

Auctorem.

A Ccipe, quos mitto, Pastor charissime, versus,  
Atque meis monitis utere, quæso, bonis.  
Noctes atque dies Scripturas perlege sanctas,  
Ex illisque Dei perbene discite vias,

Ne

Ne credas hominum dictatibus: omnia vero  
Ex Christi verbo quære probare bono.  
Nam non vera fides, quæ salvat, competit illis;  
Qui verbis hominum credere corde volunt.  
Ut faciunt illi, qui Bestia prima vocantur,  
Dum credunt Gogo, cum SUA verba crepat.  
Perge meis monitis aurem substringere fidis,  
Sanctorum Pastor si cupis esse bonus.  
Non decet hunc hominum temeraria verba docere,  
Aut coecæ gentes quæ potuere loqui;  
Aut quæ fixerunt tenebris circumdata claustra,  
Sive levis Gogi reprobata turba dedit.  
Non debent uti Pastores nomine Rabbi  
Amplius, aut Christi sumere jura sibi;  
Ad dandum verbum, quod non audiverit omnis  
Confessor Christi, discipulusque Dei.  
Ut Pastor fecit Stultus, qui tempora mutat,  
Et legem Christi; quem negat ille Malus.  
Quem pudet in terra consistere more fidelis  
Discipuli Christi: dum sibi verba Dei  
Subjicit, & supra splendentia sidera sedem  
Effert, se Cælis assimilare volens.  
Hoc igitur munus Pastoris, sola tremendi  
Summo-cum studio verba docere Dei.  
Hæc tibi si placeant; Pastor charissime, semper  
Illa tuis factis exprime Vive, vale.

I. E.

CAT-



## *Carmen Auctoris Libelli.*

**O** Quam perverso nos tempore vivimus ! olim  
Tam tetros homines non habuere dies.

Cædibus innumeris mactatur turba fidelis ;

Et furit in socios natio quæque suos.

Quis veri reperitur amor meditatio verbi

Divini quænam ? quis pius esse cupit ?

Quos Deus eduxit quondam Babylone superba ;

Hos illam cupide rursus amare vides.

**O** Jesu ! sana lethalia vulnera mundi ;

Succurat nobis gratia magna tua.

Inclina nostras mentes ad amabile verbum ;

Quo nos donavit Spiritus ipse tuus,

Atque fuga tristes tenebras, quibus obruit illud

Sermo, quem Babylon futilis illa dedit :

Clarius ut quivis nostrum cognoscere possit

Æternum Regnum Justitiamque tuam.

Et sic lux Lunæ splendorem Solis adæquet,

Et Solis splendor septuplus Orbe micet.

Sanctifica nostros animos, us cuncta velimus,

Quæ lex a nobis flagitat illa bona :

Utque via sancta læti constanter eamus ;

In qua, ceu plana, non cadit ullus homo :

Et quivis nostrum Babylonem deserat, ejus

Ne nos invadant arripiantque mala.

Fac, nostræ mentes ut ne carnalibus armis

Fidant, sed soli, maxime Christe, tibi.

Na-

Namque potes magno, quo polles, robore nostros  
Atque tuos hostes vincere, quando cupis.  
Ne creet exitium nobis communio Gogi,  
Effice per meritum. Christe benigne, tuum.  
Custodi sanctos, quos atrox Bestia vexat  
Ut ne deficient abjiciantve fidem,  
Fac, videat verum percussa scotomate diro  
Bestia, fac, cupiat glorificare Deum.  
Et parvam nostram plene converte Sororem,  
Ne porro teneat noxius error eam,  
Erige vexillum conjunctis gentibus, ad quod  
Accedant prompte, sanctificentque Deum.  
Comple Jacobi Divino lumine mentem,  
Ut videat Regnum Justitiamque tuam.  
Tandem servorum, quæso, miserere tuorum.  
Guadeat in tuto fida Columba tua.  
Supprime Pastoris molimina noxia Stulti,  
Ne fidam Sponsam supprimat ille tuam,  
Sit satis ingratos compactis cedere virgis,  
Sit satis hæredes increpuisse Dei.

Dis-



Differtatio  
super.

*Daniel.* II. 44. 45.



Dilectio

liber

1. 1. 1. 1. 1. 1.



6. Ut  
hinc lo  
de Regn  
Secundo  
inter gen  
construa  
plabo.

6. 3.  
Dum ut

6. 4.  
quam Reg

6. 5. De  
Nole egre  
rua (op



I  
Dissertatio  
super.

Daniel. 11. 44. 45.

§. I.

**L**ubet aggredi explicationem  
difficilis loci, qui extat Dan. 11.  
44. 45.

§. Ut vero iusto procedam ordine, ductu  
hujus loci primo quidem in genere agam  
de Regno Christi inter gentes in N. T.  
Secundo de tempore erigendi Regni Christi  
inter gentes differam. Tertio de ejus dicam  
constantia. Quarto vim & robar illius ex-  
plicabo.

§. 3. Quod ad primum attinet: *Suscitabit  
Deus coeli, inquit Daniel, Regnum*

§. 4. Hoc Regnum non potest esse aliud,  
quam Regnum Christi in gentibus sub N. T.

§. 5. De quo ut de hoc Christi Regno etiam  
Mose egregie vaticinatur, hisce verbis: *Non  
recedet sceptrum a Iuda, nec Legislator e me-  
dio*

2. Dissertat. super Dan 11. 44. 45.

*dio pedum ejus, donec veniat Siloh: & ei erit obedientia populorum, Gen. XLIX. 10. hoc est, licet sceptrum sive Regnum Davidis a Juda auferatur per captivitatem. Babylonicam, tamen ex Juda Curatores prodibunt & Oeconomi, qui legis carnalis observacionem urgeant, usque dum in carne appareat Christus, dator quietis & Sabbati, post exantlatos labores sub Patribus carnis: cui gentes se subjicient per fidem & amorem veritatis.*

§. 5. Post Mosem Jesaias de Regno Christi luculenter ptophetat, cum cap. LII. 7. ait: *Quam decori sunt in montibus pedes nunciantis Evangelium, qui facit audiri pacem, qui nunciat bonum. qui facit audiri salutem! qui dicit Sioni, Rex factus est Deus tuus.*

§. 6. Post Jesaiam Zacharias Regnum Christi præcinit dicit enim cap. VI. 12. 13. *Ecce vir, Germen nomen ejus est, & de subter se germinabit: & adificabit Templum Iehova. Et ipse adificabit Templum Iehova, & ipse accipiet majestatem & considebit, & dominabitur in throno ejus; & erit Sacerdos in throno ejus, & consilium pacis erit inter utrumque, nempe inter Patrem ac Filium.*

§. 7. Aperte docet hæc Prophetia Zachariae,



Differtat. super Dan. 11. 44. 45. 3

hariae, Christum propria potentia ac potestate Regnum in gentibus fuisse erecturum.

Idem docet Danielis prophetia, quae sub manibus. Nihil enim impedit, ne per Deum coeli intelligamus Christum.

§. 8. Quamvis etiam Deum Patrem per Deum coeli intelligere possimus. Siquidem Deus Pater Christum ad istud Regnum unxit, h. e. eum Regem non tantum Judaeorum, verum etiam gentium constituit ac declaravit in monte Sancto suo Sion, Psalm. 11. 6.

§ 9. Quod praecipue factum post resurrectionem Christi in die Pentecostes per effusionem Spiritus S. in omnem carnem, Act. 11.

§. 10. De qua Christi in Regem unctione per effusionem Spiritus S. Petrus loquitur, Act. X. 38. Jesum Nazarenum ἔχρισεν ὁ Θεὸς πνεύματι ἁγίῳ καὶ δυνάμει: unxit Deus Spiritu S. & potentia. Et ante Petrum David Psalm. XLV. 8. *Dilexisti justitiam, & odisti improbitatem; propterea unxit te, o Deus, Deus, tuus oleo letitiae praeforsortibus tuis.*

§. 11. Sed videamus quoque naturam & genuinam

4 Dissertat. super Dan. 11. 44. 45.

genuinam indolem Regni Christi, quod ipse sub N. T. fundavit.

§. 12. Nimirum Regnum illud Christi est Regnum prorsus spirituale.

§. 13. Hoc ipse Christus aperte docet, cum ait Joh. XVIII. 36. *Regnum meum non est ex hoc mundo si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei certarent, ne traderer Judais: nunc autem Regnum meum non est hinc.*

§. 14. Idem Christus significat, quando Pharisæis de adventu Regni Dei interrogantibus respondet Luc. XVII. *ὁὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ μετὰ παραλήψεως* Non venit Regnum Dei sive Regnum Christi cum ostentatione.

§. 15. Christo consonat Paulus; dicit enim Rom. XIV. 17. Regnum Dei esse iustitiam & pacem & lætitiā in Spiritu S.

§. 16. Addo, quod in Regno Christi cuncti subjecti Reges sint, Apoc. I. & V. quod in Regno politico locum habere nequit.

§. 17. Et vero ipse quoque Daniel satisclare indicat, Regnum Christi non fore munda-



45.  
quod ip  
Christi  
e docet,  
eam non  
Regnum  
traderet  
non est  
quando  
errozan-  
i Ba-  
in remi-  
m offen-  
s; dicit  
esse ju-  
rica S.  
Christi  
& V.  
ere ne-  
iel satis  
on fore  
manda.

Differtat. super Dan. II. 44. 45. 5

mundanum; dum illud suscitatum iri docet  
in Imperio Romano, uti postea videbimus,  
sine hujus oppugnatione aut deletione per  
arma carnalia.

§. 18. Quoniam igitur ipsum Regnum  
Christi est mere spirituale, ideo etiam arma  
militiæ Regni Christi, quibus subjecti, hoc  
est, fideles ac Sancti quærentur, sunt mere  
spiritualia, 2. Cor. X. 4.

§. 19. Accurate hic notandum, quod  
Regnum Christi in Scripturis N. T. ἡ βασι-  
λειὰ τοῦ θεοῦ Regnum Dei appelletur.

§. 20. Ratio hujus appellationis in  
promptu est. Nempe ita appellatur Regnum  
Christi, quia in eo fideles N. T. abro-  
gata lege præcepti carnalis, Diisque dictis  
abolitis. Deo soli per spiritum adoptionis  
serviunt in justitia ac sanctitate veritatis.

§. 21. Vocatur quoque Regnum Christi  
in Codice sacro N. T. ἡ βασιλειὰ τῶν ἑβραίων  
Regnum coelorum: quia videlicet heredes  
N. T. eadem libertate in Regno Christi  
fruuntur, qua beati in coelo.

§. 22. Differamus nunc de tempore eri-  
gendi Regni Christi inter gentes.

6 Dissertat. super Dan. I I. 44. 45.

§. 23. Id tempus Daniel indigitat, cum ait: *In diebus Regum illorum eriget Deus coeli Regnum,*

§. 24. Quibus verbis Daniel nos jubet penitus inspicere *statuam* in somnis Nabuchodonosori visam.

§. 25. Cujus quidem statuæ *caput* ex *auro puro* elegans emblemata erat omnium nobilissimi Regni Nabuchodonosoris, illiusque duorum successorum, filii nimirum ac nepotis. Vid. Jer. XXVII. 7.

§. 26. Statuæ *pectus* ac *brachia* ex *argento* Regnum Medorum Persarumque præmonstrabant.

§. 27. *Venter* statuæ ac *femora* ex *aere* Regnum Alexandri præsignificabant, ut & Ægypti Syriæque Regna, quæ post obitum Alexandri successores ejus, Lagidæ scilicet ac Seleucidæ, partitione obtinuerunt.

§. 28. Miramur itaque, *Grotium* per statuæ ventrem & femora solum Alexandri Regnum intelligere; per crura autem ac pedes statuæ Alexandri successorum Regna.

§. 29. Quam Grotii opinionem approbare aut sequi haudquaquam possumus.

§. 30.



Dissertat. super Dan. 11. 44. 45. 7

§. 30. Primo namque apertissimum est atque extra omnem controversiam positum, successores Alexandri non aliud Regnum per divisionem obtinuisse, quam quod Alexander bello jam acquisiverat. Quo jure igitur Alexandrum separabimus a successoribus suis.

§. 31. Certe Daniel Imperium Græcorum ut unum nobis proponit cap. VII. 6. ubi illud typo hirci caprarum exprimit: & rursus versu 21. quo juvenem illum hircum interpretatur Regem Græciæ, h. e. cunctos Reges Græcorum, qui post Persas usque ad Romanos rerum potiti sunt.

§. 32. Verissimum quidem est, Zachariam cap. VI. 7. 6. Regnum Alexandri specie לננים equorum alborum adumbrare; Regnum autem successorum Alexandri in Ægypto & Syria sub emblemate סוסים ברדים equorum grandinatorum sive respersorum maculis albis instar grandinis proponere: sed eo Zacharia haudquaquam docet, Regnum lagidarum Seleucidarumque ab Alexandri Regno diversum fore. Tantum significat Zacharias, sub eodem Imperio Græcorum Judæos modo in hoc, modo in illo statu versaturos sive, imperante Alerandro,

8 Differtat. super Dan. 11. 44. 45

constanti pace fruituros, cujus symbolum color existit albus, regnantibus vero Alexandri successoribus, nunc pacem habituros, nunc passuros persecutionem, quod per colorem varium præfiguratur.

§. 33. Deinde quis nescit, ferrum ære robustius esse? si igitur apud Daniele Regnum Alexandri ad æs, Regnum vero successorum Alexandri ad ferrum pertinet, ut Grotius existimat, jam certe sequitur, Regnum successorum Alexandri validius robustiusque fuisse ipsius Alexandri. At contrarium patet tum ex Dan. VIII. 22. XI. 4. tum ex historia.

§. 34. Porro cum, fatente Grotio, Imperium Medorum Persarumque per statuæ duo brachia argentea præsignificatum sit; quid, quæso, impedit, quo minus statuamus, etiam Seleucidarum Lagidarumque Imperium binis colossi femoribus æreis præfiguratum esse?

§. 35. Scitum est quidem, juxta Danielis vaticinationem, Imperium Græcorum, mortuo Alexandro in quatuor Regna divisum: verum in statua, Nebuchodonosori a Deo ostensa, Regna tantum Syriæ atque Ægypti, velut nobiliora, repræsentantur, omis-

sis



Differtat. super Dan. II. 44. 45. 9

sis Asiæ minoris Macedoniæque Regnis,  
tanquam vilioribus. Vide undecimum Da-  
nielis:

§. 36. Denique quid clarius ex versu qua-  
dragesimo quarto, quam, stante Regno quar-  
to, Regnum Christi, in emphasi sic dictum,  
excitandum fuisse? Atqui Deus Christi at-  
que adeo Ecclesiæ Regnum excitavit, di-  
ruto jam, imo profus deleto Lagidarum &  
Seleucidarum Regno. quo jure ergo Gro-  
tius audet per Regnum quartum hic succes-  
sorum Alexandri Imperium intelligere?

§. 37. Novimus equidem, Grotium ver-  
su quadragesimo quarto pro Regno Christi  
Romanorum Imperium, sequente vero ip-  
sum populum Romanum intelligere: sed  
quod primum objicimus Grotio, quomodo  
in diebus lagidarum seleucidarumque (hos  
enim Grotius significatos vult per Reges il-  
los) Deus Imperium Romanum suscitavit?  
Nonne in diebus lagidarum seleucidarumque  
notat stantibus ac florentibus lagidarum se-  
leucidarumque Regnis? Et nonne suscitatio  
Regni hic portendit evectionem supra omnia  
Regna? Confer versum trigessimum nonum,  
ubi surgere non significat initium aut incre-  
mentum aliquod sumere, sed summam ob-  
tinere

10 Dissertat. super Dan. 11. 44. 45.

tinere Imperii. Atqui, quod extra contro-  
versiam est, Romanum Imperium hoc sensu  
non suscitatum in lagidarum Seleucidarum-  
que diebus; sed demum post lagidarum se-  
leucidarumque Regna imminuta. Vide  
Dan. XI. 36. ubi de Romano dicitur, *Et  
faciet pro voluntate sua Rex, & efferet se,*  
&c. nempe, ut patet ex antecedentibus,  
post lagidas selucidasque ad incitas reda-  
ctos.

§. 38. Cujus vaticinii Danielis veritatem  
confirmat Vellejus Paterculus libri primi capi-  
te sexto duobus Regibus, Philippo & Antiocho,  
qui a Macedonibus oriundi erant, haud multo  
post Carthaginem subactam, devictis, *SUM-  
MA IMPERII* ad populum Romanum  
pervenit. Et Florus libri secundi capite octa-  
vo, *Macedoniam statim, & Regem Phi-  
lippum, Antiochus excepit, quodam casum,*  
*quasi industria, sic adgubernante fortuna, ut,*  
*quemadmodum ab Africa in Europam, sic*  
*ab Europa in Asiam, ultro se suggerentibus*  
*causis, Imperium procederet, & cum terrarum*  
*orbis suu ipse ordo victoriarum navigaret.*  
Idem de elatione Romani libri secundi capite  
decimo nono, *Haftenus populus Romanus*  
*pulcher, egregius, pius, sanctus, atque magnifi-*  
*cus: reliqua seculi, ut grandia aequae, itavel*  
*magis*



Differtat. super Dan. 11. 44. 45. 11

*magis turbida & foeda ; crescentibus cum ipsa Imperii magnitudine vitii.*

§. 39. Secundo quo sensu commodo Romanum Imperium, quod Imperium Syriacum & Ægyptiacum exceperit, potest appellari Regnum in secula non corruptendum? Nonne ante complura secula corruptum est?

§. 40. Male Grotius ait, Imperium Romanum perpetuo mansurum, quod sedes futura sit Ecclesiæ. Nam contrarium & prophetiæ docent & experientia evincit. Quod ad Ecclesiam vero attinet, ea sedem in mundo habere potuit & habuit, Romano Imperio jam dudum corrupto.

§. 41. Tertio quam idoneam ob causam de Imperio Romano dicet Grotius, quod populo alii non fuerit relinquendum? Nonne, ut taceam ceteros, Francis, Germanis, Turcis, populis a Romanis diversissimis, a Deo relictum sive traditum est?

§. 42. Quarto quo sensu apto populus Romanus lapis a monte, veluti *palatino*, excisus appellari potest?

§. 43. Quinto quo sensu opportuno de popu-

12 Dissertat. super Dan. 11. 44. 45.

populo Romano dici potest, quod non fuerit in manibus?

§. 44. Ut sane pateat, Grotium hic omnia comminisci, ne a Daniele in tam illustri propheta Regnum Christi videatur expresse indicatum.

§. 45. Quoniam igitur Regnum successorum Alexandri in Syria & Ægypto per Regnum quartum ferreum haudquaquam potest intelligi, merito adhuc statuimus, totum Imperium Græcorum per colossi ventrem & femora ærea sive per Regnum tertium æreum, quod in universa terra dominaturum erat, a Daniele præ significatum fuisse.

§. 46. De quo Græcorum Imperio multo ante Danielem etiam. Bileam vaticinatus est Num. XXIV. 24. ubi ait: *Et naves, Græcorum scilicet, a latere Cbittim venient, hoc est, ab Occidente, & subigent Assur sive Persas.* Vide Esdræ VI. 22. quo Rex Persarum, Darius Nothus, Rex Assyriæ appellatur, quia Assyriam possidebat.

§. 47. Descendamus nunc ad accuratam contemplationem ferreorum crurum statuæ, pedum.



pedumque partim ferreorum, partim testaceorum.

§. 48. Statuæ erura ex mero ferro quod attinet, evidens est, ea Symbolum Existere Regni quarti, quod Daniel versu quadragesimo ita describit: *Et Regnum quartum erit robustum, ut ferrum; quia ferrum comminuit & infirmat omnia: & ut ferrum, quod conquassat omnia hæc, comminuet & conquassabit.*

§. 48. Hoc autem Regnum quartum sine dubio Romanorum Imperium est: utpote in quod verba Danielis, proxime citata, omnium aptissime congruunt; ut patet ex historia Romana.

§. 50. Et quidem Regnum quartum totum Romanum Imperium est, ac proinde & Ethnicum complectitur & Christianum. De utroque videamus vaticinia parallela.

§. 51. De primo Daniel etiam capite XI. v. 36. Supra ex parte citato vaticinatur: *Ei faciet inquit, pro voluntate sua Rex & efferet se, & magnificabit se supra omnem Deum, sive omnes Reges ac dynastas, contra Deum Deorum loquetur mirabilia, hoc est, horrenda edicta contra Christum & Ecclesiam*

14 Differtat. super Dan. 11. 44. 45.

siam ejus edet, & prospere aget, donec consummatus fueris rigor. Nam decisum factum est.

§. 52. Quin & Balaamus longe ante Danielem Imperium Romanum Ethnicum præcinuit, his verbis: *Naves præter Chitraos venient, hoc est, ab insulis maris mediterranei, & debilitabunt Heber sive Hebraeos, Heberi posteros, Num. XXIV. 24.* Quod sub Vespasiano contigit.

§. 53. Fere oblitus fuisset Johannes; qui Apoc. XII. 3. 4. Imperium Romanum Ethnicum admodum luculenter describit: *Et visum est aliud signum in coelo, in Republica atque Ecclesia Judaica, & ecce Draco magnus rufus. habens capita septem & cornua decem, & in capitibus suis diademata septem; & cauda ejus detrahebat tertiam partem Stellarum coeli, & conjecit eas in Terram.* Qui locus distinctam explanationem meretur.

§. 54. Nimirum per Draconem magnum rufum Johannes Diabolum notat, per Romanum Imperium Ethnicum, valide latum ac sanguinarium, in mundo regnantem.

§. 55. Per septem Draconis capita Johannes



45.  
ut con-  
su fa-  
ge. ate  
hnicum  
er Chri-  
ris me.  
ve He-  
N. 24.  
hannis;  
Roma-  
delcri-  
velo,  
& ecce  
septem  
suis di-  
trabebat  
conjecti-  
am ex-  
magom  
per Ro-  
e laum  
m.  
pita Jo-  
hannes

Dissertat. super Dan. II. 44. 45. 15

hannes regiones septem significat, quæ cum appendicibus suis imperium Romanum circa tempus adventus Christi constituebant. Erant illæ Italia, Gallia, Hispania, Africa, Syria, Asia, Græcia.

§. 56. Per decem Draconis cornua Johannes totidem Romanos Imperatores Ethnicos signat, qui Ecclesiam usque ad pacificationem dirissimo modo persecuti sunt. Fuerunt illi, recensente Augustino, Nero, Domitianus, Trajanus, Antoninus, Severus, Maximinus, Decius, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus.

§. 57. Per diademata septem, Draconis septem capitibus imposita, Johannes indicat, septem illas Regiones, quibus Romanum Imperium Ethnicum, consummatum, constabat, ut olim, totidem distincta Regna esse, adeoque totidem etiam Reges distinctos habere potuisset.

§. 58. Per detractionem tertiæ partis Stellarum coeli, earumque in terram conjectionem, cauda Draconis factam, Johannes portendit, Diabolum, mediante Imperio Romano Ethnico, tertium ordinem Rectorum & Custodum Reipublicæ Judaicæ, (vide Zach, XI. 8. Mal. II. 12.) hoc est,  
B  
Judices,

Judices, potestate atque auctoritate, ipsis divinitus concessa, privasse, sive דינא נפשוֹן judicia capitalia illis ademisse. Quam nostram interpretationem egregie confirmat ingenui Judeorum confessio: *Ἡμῖν οὐκ ἐξέστιν ἀποκτείνεσθαι ἕδρα.* *Nobis band licet occidere quemquam.* Joh. XVIII. 31. Ob quam causam Jesum Pilato in Judæa Procuratori cruci affigendum tradiderunt.

§. 59. Ut vero de Romano Imperio Ethnico, ita similiter de Christiano Daniel amplius vaticinatur; nempe capitis septimi versus quarto, ubi Imperium Constantini Magni successorumque ejus sub leonis imagine proponit, duasque alas aquilinas ei attribuit. Et Leonis quidem figura robur ac generositatem Romani Imperii Christiani Daniel exprimit; emblemate autem duarum alarum aquilinarum duas illius magnas partes, unam in Orientem porrectam, alteram versus Occidentem protensam, quarum hæc Imperatori veteris, illa Imperatori novæ Romæ subiecta erat, designat.

§. 60. Nemo miretur, Daniele Romanum Imperium Christianum hieroglyphico Bestiæ significare. Nam (liceat mihi uti verbis Cocceji ad locum præsentem) *fuit &*



Differtat. super Dan. II, 44. 45. 17

tunc Bestia multitudo imperans, non Ecclesia: quia non habuit fidem Christi, sed tantum voluntatem loquendi, quod Principes loquebantur. & id patiendi dici; atque ita mentiendi Christo. Illa Bestia se venditavit pro Ecclesia, & pro Ecclesia habita est & adorata. Fuit tamen illa Bestia generosior & melior sequentibus.

§. 61. Sequitur adhuc unus locus de Romano Imperio Christiano apud Danielem cap. XI. v. 37. Et non habebit, Imperator Romanus, rationem Deorum Patrum suorum, h. e. non adorabit Deos falsos, quos Patres atque Antecessores sui adorant quod contigit, cum Romani Imperatores Religionem Christianam idololatriam gentilium apertissime damnantem, amplexi sunt.

§. 62. Ad quod tempus indubie pertinet ligatio Draconis, ne, ut hactenus fecerat, seduceret amplius omnes gentes, atque adeo earum Imperatores ac Reges; nempe ad palam colendos atque adorandos commentitios Deos, Apoc. XX. 1. 2. 3.

§. 63. Ast nondum expresse diximus, quid DUO crura colossi significaverint. Nimirum de nostra sententia vel significa-

18 Differtat. Super Dan. 11. 44. 45.

verunt, Romanum Imperium idololatrias primum, deinde Christianos obtenturos, vel, quod verisimilius, divisionem Imperii Romani in veterem novamque Romam portenderunt.

§. 64. Atque hæc quidem sunt, quæ ad statuæ crura ferrea commentari potuimus.

§. 65. De partim ferreis, partim testaceis statuæ pedibus, consideratis omnibus circumstantiis, sequentia conscribenda habemus.

§. 66. Nempe statuimus pedibus statuæ partim ferreis, partim testaceis adumbrari extremam partem Imperii Romani, h. e. id imperium, quod in Occidente successit in locum veteris Romani Imperii destructi, hujusque tum quasdam regiones tum etiam nomen obtinuit; ac præterea sedes Antichristi evasit.

§. 67. Hoc autem Imperium Daniel vocat מלכו פליגה Regnum divisum, quia in eo distincti homines, veluti Imperator & Antichristus supremam potestatem atque jurisdictionem, ille politicam, hic Ecclesiasticam, sed quacum Politica revera conjuncta est, habent ac exercent.

§. 68.



Differtat. super Dan. II. 44. 45. 19

§. 68. Rem totam diferte confirmat ipse Bellarminus libri Primi de Clericis capite trigefimo, *Sacerdotes & omnes Clerici habent Principem spiritualem, a quo non in spiritualibus solum, sed etiam in temporalibus reguntur. Neque fieri potest, ut duos agnoscant Principes in rebus temporalibus; juxta Evangelium nemo possit duobus Dominis servire. Rursum, Ecclesia vere una tantum est, & nullo modo dua: civitas autem una est materialiter, & formaliter. Nam Ecclesia continet omnes Christianos Catholicos, sive sint Clerici, sive laici. Si quis autem consideret coetum Laicorum, non ut Christiani sunt, sed ut cives, vel quocunque alio modo, is coetus Ecclesia dici non potest. Non igitur dua fingi possunt Ecclesie, ac multo minus esse. At coetus Laicorum & coetus Clericorum formaliter dua civitates dici possunt, quoniam in ipsis etiam temporalibus rebus diversas leges habent, diversum Principem. diversa tribunalia: & tamen materialiter unam tantum Civitatem faciunt, quia unam urbem inhabitant, & sub ejusdem Principis protectione vivunt.*

§. 69. Inde igitur clarissimum est, ultimam partem Imperii Romani summo jure duplex Imperium in uno appellari posse.

§. 70. De qua conduplicatione Imperii Daniel etiam cap. VII. v. 7. 8. Luculenter admodum vaticinatur, *Postea vidi in visionibus noctis, & ecce Animal quarium metuendum & terribile, & robustum ad modum: idque habebat dentes ferreas magnas; comedebat & comminuebat, & reliquum pedibus suis conculcabat; atque id diversum erat ab omnibus animalibus, qua ante illud fuerant, & habebat decem cornua. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvum ascendebat inter illa. & ecce oculi, ut oculi hominum, erant in cornu hoc, & os loquens magna.* Confer. vers. 23. 24 quibus Daniel Animal quartum Regnum quartum, decem cornua decem Reges, cornu parvum alium Regem, post illos decem surgentem, interpretatur.

§. 71. Sine dubio autem Daniel convenenter filo Prophetiæ, rebusque ipsis, per Regnum quartum Imperium Romanum novum, & sic per decem Reges decem familias rerum potientes intelligit.

§. 72. Quo posito, cornu parvum inter decem cornua Animalis quarti ascendentis, sive Rex post decem Reges quarti existentis, revera Antichristus est. Nam vi se maxime



Dissertat. super Dan. 11. 44. 45. 21

me patefecit, postquam ex Regno quarto, de quo hic Daniel, decem Reges surgere jam coepissent; ut docent historiæ.

§. 73. Et vero in Antichristum perfecte quadrant quæ Daniel v. 24 25. de cornu parvo addit.

§. 74. Etenim primum Antichristus est Rex diversus a Regibus prioribus. Quippe Rex existit Ecclesiasticus.

§. 75. Deinde Antichristus minimum tres de Regibus prioribus, h. e. tres familias imperantes, humiliavit.

§. 76. Tum Antichristus verba juxta Altissimum loquutus est, & adhuc loquitur, dum dogmata sua, sive falsa, ficta auctoritate Vicarii Christi proposuit, & adhuc proponit.

§. 77. Præterea Antichristus sanctos Altissimorum, puta Patris, Filii & Spiritus S. abolevit, jubendo, ut magno numero occiderentur ob sermonem Dei & testimonium Jesu.

§. 78. Porro Antichristus tempora ac legem mutavit, cum tempus gratiæ atque aureæ libertatis in tempus iræ & plumbeæ  
B 4 servi.

22 Dissertat. super Dan. II. 44. 45.

fervitutis; legem autem veritatis ac justitiæ fidei in legem mendacii & justitiæ operum convertit.

§. 79. Denique sancti Altissimorum in manum Antichristi ad tempus & tempora & dimidium temporis dati sunt, ut longo illo tempore vel mortem; eamque sæpe sævissimam, pati; vel mysterium pietatis subticere, vel in sylvis ac rupibus se abscondere coacti fuerint.

§. 80. Post Danielis vaticinium de duplici Regno in uno, quod extat cap. VII. iam citato, ejusdem Prophetæ occurrit nobile vaticinium de illo cap. XI. 38. 39. *Et, Rex Romanus politicus, Deum Arcium in loculamento suo honorabit, credet, & ab omnibus credi volet, Christum in Arcibus, Basilicis, Templis, Monasteriis, a se aliisque constructis, atque adeo in eorum loculamentis singulari modo habitare, ibique adorandum esse, confer Matth. XXIV. 24. & Deum quendam, Papam nimirum, se collocantem in Templo Dei, & declarantem se ipsum Deum, seque efferentem in omnem dictum Deum & Venerabile, sive Augustum, 2. Thess. II. 4. Quem non agnoverant Patres ipsius, neque gentiles, neque Christiani, honorabit auro & argento & lapide*



Differtat. super Dau. II. 44. 45. 23

*lapide pretioso & desiderabilibus. Et faciet, Manimentis Arcium, Episcopis, &c. qui doctrinam de colendo & adorando Deo Arcium auctoritate sua tuentur, cum Deo peregrino, Papa, quem agnoverit, multiplicabit honorem, (vel majorem faciet honorem) & faciet illos potestatem habere in multos, & terram distribuet pro pretio.*

§. 81. Sed & Johannes duplex Regnum in uno sub N. T. aliquando fore, non obscure indicat, quoties in Apocalypsi Bestiam & Pseudopropheta[m] vel Imaginem Bestiæ conjungit; ut Apoc. XIII. XIV. XV. XVI. XIX. XX.

§. 82. Hactenus; itaque ex Scripturis prophetiis probatum dedimus, in N. T. Regnum divisum futurum fuisse.

§. 83. Atque id quidem Regnum divisum Daniel vers. 42. prædicat partim robustum, partim infirmum fore, ferro robur, testa infirmitatem ejus adumbrante.

§. 84. Estque ex implemento evidentissimum, Regnum Politicum utpote gladio a Deo munitum, instar ferri, firmum, Regnum vero Ecclesiasticum, aut gladio destitutum, aut gladium parvum habens

24 Differtat. super Dan. 11. 44. 45.

minusque acutum, ad instar testæ infirmum  
existere.

§. 85. Vaticinatur quoque Daniel v. 43.  
duo illa Regna, Politicum & Ecclesiasti-  
cum, mixtum iri semine humano, quomo-  
do ferrum Nebucadnezar viderit mixtum te-  
stæ luti. Id nostra quidem sententia nihil aliud  
portendit, quam unum Regum ordinem ex  
altero ortum tracturum, quemadmodum  
illi, qui Regnum Ecclesiasticum obtinent,  
ex Regno Politico nascuntur.

§. 86. Tandem prænuñciat Daniel vers.  
43. Regem Politicum cum Ecclesiastico non  
cohæsurum, quemadmodum ferrum non  
commiscetur cum testæ. Eo sine dubio fe-  
rales lites inter utrumque Regem denotan-  
tur. Quas Daniel & cap. VII. supra ci-  
tato, clarissime indicat, quando cornu par-  
vum ait tria de cornibus prioribus eradica-  
turum. Consonat Johannes Apoc. XVII.  
16. *Et decem cornua, quæ vidisti in Be-  
stia, hi odio habebunt Meretricem, & de-  
sertam facient illam, & nudam, & carnes  
ipsius comedent, & ipsam igne cremabunt.*  
Quæ notabilis prophetia jam ex parte com-  
pleta est.

§. 87. Nemo nobis jam vitio vertat,  
quod



46.  
firmiter  
7. 43.  
refelli.  
quomo-  
rum re-  
nil aliud  
nem ex  
modum  
tinent,  
iel vers.  
ico non  
m non  
olio fe-  
lenotan.  
upra ci.  
na par.  
radica.  
XVII.  
in Be.  
& de  
carer  
mabin.  
te com.  
veret,  
quod

Dissertat. super Dan. 11. 44. 45. 25

quod quæ vers. 41. 42. 43. de Regno di-  
viso dicuntur, ad ultimam partem imperii  
Romani aptamus. Summo jure enim id  
facimus.

§. 88. Quippe primum hæc nostra ap-  
plicatio non cum verbis Danielis duntaxat,  
sed & cum historia quam accuratissime con-  
venit.

§. 89. Secundo neutiquam probabile est,  
Danielem Nebucadnezari præcipua Regna  
mundi in colosso ostendentem hoc Regnum  
Christianum divisum, quod in N. T. post  
vetus Romanorum Regnum deletum, omni-  
bus ceteris Regnis, quibus cum existit,  
indubie palmam præripit, præterire.

§. 90. Tertio haudquaquam credibile est,  
Danielem Romanum Imperium tam clare  
prædicentem extremam partem illius, qua  
stante res maximæ in Regno Christi gestæ  
sunt, adhuc hodie geruntur, reticere.

§. 91. Quarto Daniel disertè docet, post  
comminuta simul ferrum, testam, æs, ar-  
gentum & aurum, Lapidem montem fore  
præmagnum, totam terram impleturum.  
Quod nihil aliud significare potest, quam  
Regnum Christi Spirituale post de-  
structa

26 Dissertat. super Dan. 11. 44. 45.

structa omnia Imperia, Nabuchodonosoro per colossum ostensa, in mundo fore longe amplissimum ac celeberrimum, atque adeo universam terram occupaturum, ac ita quidem, ut nullum in ea Regnum relinquat sibi contrarium. Atqui hoc non contigit post deleta Imperia Babylonicum, Persicum, Græcum, vetus Romanum, sed demum fiet post extinctum Regnum Christianum divisum, quod Regni Christi amplificationem in mundo quam maxime impedit.

§. 92. Manifesto patet igitur, Regnum Antichristi Regumque ipsi potentiam & potestatem suam tradentium omnino ad Danielis colossum pertinere.

§. 93. Huetius statuit, vers. 41. 42. bella Cæsaris & Pompeji, Augusti & Antonii portendi? atque tempora, quibus ista bella gesta sunt, propterea pedibus, comparari, quod Messæ ortum proxime præcesserint: vers. 43. connubia significari, quibus Cæsarem inter & Pompejum, Augustum & Antonium affinitates contractæ sunt; quæ tamen ob Imperandi cupidinem immoderatam non potuerint impediri, quo minus feralibus bellis Imperium Romanum in duas partes scinderent.

§. 94.



Differtat. super Dan. 11. 44. 45. 27.

§. 94. Verum enim vero, omnibus rite perpensis, hæc Hueti, opinio nullius momenti est.

§. 95. Etenim primum nulla idonea ratio afferri potest, quare crura statuæ non totum Romanum Imperium vetus significant, cum caput totum Imperium Babilonicum, pectus & brachia ei apposita totum Imperium Medorum Persarumque, venter & femora illi adjuncta totum Imperium Græcorum manifesto portendant.

§. 76. Deinde in statua crura mere ferrea pedes partim ferreos, partim testaceos præcedunt: ac proinde Imperium Romanum, hic significatum a Daniele, primum crurum mere ferreorum, deinde pedum, partim ferreorum, partim testaceorum similitudinem habet. Quod si igitur Huetii sententia ad veritatem pertineret, profecto Imperium Romanum, quod ante bella Cæsaris & Pompeji, Augusti atque Antonii stetit, cruribus mere ferreis; at Imperium Romanum, quod durantibus, atque etiam finitis istis bellis extitit, pedibus, partim ferreis, partim testaceis simili fuisset. Atqui Imperium Romanum non minus cruribus ex mero ferro simile fuit, bellis civilibus

28 *Dissertat. super Dan. 11. 44. 45.*

libus inter modo memoratos Principes ardentibus atque ante illa: post illa vero Imperium Romanum sub Augusto, ejusque successoribus curibus mero ferro constantibus quam maxime simile extitit, id est, summum robur obtinuit.

§. 97. Tandem quis sibi facile persuadeat Danielem eo loco, ubi Nobilissima mundi Imperia ex colosso brevissime præmonstrat, etiam contentionum inter Cæsarem ac Pompejum, inter Augustum atque Antonium, item conglutinationis horum Principum per nuptias rationem habere? Et vere si Daniel hic de intestinis bellis inter Romanos Principes vaticinari voluit, quare non simul, ut taceam alia, Galbæ, Othonis, Vitellii certamina domestica præsignificavit?

§. 98. Quod si quis nobis objiceret, hoc modo neque verum esse, Danielem, quod nos paulo ante statuimus, in tam brevi explicatione colossi contentiones inter Antichristum & Reges Christianos significasse, ei responderemus, has contentiones longe majoris momenti esse, perque multa secula durasse. Immo Regnum Antichristi sine gravissimis certaminibus cum Regnis mundanis non potuisse ad  $\omega\mu\pi\gamma$  pervenire, atque  
adeo



Differtat. super Dan. 11. 44. 45. 29

adeo Daniele in brevi licet vaticinio de Regno Antichristi hujus cum Regibus Christianis certamina silentio vix potuisse præterire.

§. 99. Hisce ita excussis nunc videamus, quid portendant ista verba Danielis: *In diebus Regum illorum eriget Deus cæli Regnum.* Nimirum nihil aliud portendant, quam Deum Patrem Christi & Ecclesiæ Regnum erecturum fuisse, durante adhuc ordine Regum, Nebucadnezari per imaginem præmonstrato, hoc est, stante ac florente Romano Imperio Ethnico, ut eventus docuit clarissime.

§. 100. Certe sub Romanorum gentilium Imperio Christum in carne sese manifestaturum, & munere Mediatoris, in æterno patris consilio peccatorum ineffabili amore suscepto functurum proindeque Regnum spirituale in gentibus suffitaturum fuisse, Daniel insuper aperte significat cap. IX. vers. 24. *Septimana septuaginta decisa sunt super populo Tuo & super urbe sancta Tua, ad coercendum defectionem, & ad consummandum peccata, & ad expiandum pravitatem, & ad adducendam justitiam æternam, & ad obsignandum visionem & prophetiam, & ad un-*  
gendum

30 Differtat. super Dan. 11. 44. 45

*gendum Sanctum Sanctorum. Quae septimanae 70, minimum 490. anni sunt, quibus ad finem decurrentibus, soli Romani in nobilioribus notioribusque mundi regionibus rerum potiti sunt.*

§. 101. Addo, quod עם נגיד הנה *populus Principis advena*, qui non multo post pravitatem expiatam justitiam adductam per Unctum excisum Urbem & Sanctum h. e. Jerusalem & Templum illius corrupturus erat ibid. vers. 26. non potuerit esse alius, quam Romanus.

§. 102. Sed ante Danielem Michmas quoque passionem Christi, & consequenter erectionem Regni illius sub Romano Imperio collocavit, ait enim. *Nunc ducta legiones Filia Legionum. Obsidium posuit circa nos. Virga percussit in maxilla Indicem Israelis,* cap. IV, 14. Quibus verbis clare docetur, primum populum aliquem Summam Imperii bello quaesiturum, Iudeosque absesurum; Deinde quosdam Judici Israelis contumeliam illaturos. Atqui ille populus revera est Romanus. Hic namque per occupationem unius Regionis post aliam ad latissimum potentissimumque in mundo Imperium contendit, ac Judæos, Hierosolymis per Pompejum



Dissertat super Dan. II. 44. 45. 31

jum expugnatis, debella vit. Non longe post  
Christus, verus שופט ישראל Judex Israelis,  
in carne manifestatus est; quem infideles Ju-  
dæi, Pilati, Procuratoris Romani in Judæa,  
permissu summa ignominia affecerunt, *παντο-*  
*μυα* ipsi infligendo: per quam tamen ig-  
nominiam Deus Pater Christum ad glorio-  
sissimum Regnum evexit.

§. 103. Quin & Jesaias Christum sub  
Romano Imperio mundo se ostensurum, at-  
que adeo Regnum promissum à Deo Patre  
accepturum, aperte docet cap. XL. v. 3. 4.  
5. *Vox clamantis extat in deserto: Vacuam  
facite viam Domino, complanate in solitudi-  
ne viam munitam Deo nostro. Omnis vallis at-  
tolletur, & omnis mons & collis deprimen-  
tur, & omne lamosum in planiciem, & præ-  
rupta terrarum in convallem mutabuntur. Et  
revelabitur gloria Domini, & videbunt om-  
nis caro pariter, quod os Iehovæ locutum sit.*  
Extra dubium ponimus, hic de manifesta-  
tione Christi in carne agi, adducti cum exi-  
mio loco, qui extat Marc. I. 3. tum re ip-  
sa. Hoc concesso, per omnium vallium,  
montium, colliumque exæquationem, item  
per mutationem lamosi in planitiem, præ-  
ruptarum terrarum in convallem nihil com-  
modius intelligere possumus, quam totius  
C Habi.

32 Dissertat. super Dan. II. 44. 45.

Habitabilis æqualem sub Augusto, Romanorum Imperatore, statum, cum altissima pace, summaque tranquillitate generis humani conjunctum.

§. 104. De qua pace Virgilius Æneidos Libro I. *Aspera tum posuisti mitescenti secula bellis: Cana fides & Vesta Remo cum fratre Quirinus Iura dabunt: dira ferro & compagibus arctis Claudentur belli porta: furor impius inuis Sæva sedens super arma & centum vincetus ahenis Post tergum nodis fremet horridus ore cruento.* Suetonius in Augusto: *Ianum Quirinum semel atque iterum à condita urbe memoriam ante suam clausum in multo breviori temporis spatio, terra marique pace partiter clausit.* Eusebius Præp. Evang. Libro I. Ἀκόλυστα ταῖς πόρῃταισιν ἐπηκολύθει τὰ ἔργα. πάντα μὲν αὐτῆκα περιπέλο πολυαρχία ῥωμαίων, αὐτῆκα κατὰ τὸ αὐτὸ ἦ τῷ σωτήρι ἡμῶν ἐπιφαιεῖα μοναρχήσαντο. ἐξ ἐλεύθε δὲ εἰς δεῦρο οὐκ ἄν ιδως, ὡς τὸ πρῖν, πόλεισι πόλεισι πολεμύσασα, καὶ, ἰδιῶς ἐθνεῖ διαμαχόμενον καὶ τὸν βίον ἐν πάσῃ συγχύσει καταλιβόμενον. Contentantæ prædictionibus res consecuta sunt. Statim enim sublatus est apud Romanos dominatus ille à multis usurpatus, cum ad unum Augustum imperii summa, sub ipsum Servatoris nostri ortum, rediisset. Ab eo enim tempore



Differtat. super Dan. 11. 44. 45. 33

pore ad hanc usque atatem minime videas ci-  
vitates cum civitatibus ut prius decertantes,  
neque gentem cum gente pralianem, neque res  
hominum omni perturbationis genere attritas.  
Orosius Lib. 6. Anno à N. C. DC. C.  
LII. *Casar Augustus ab Oriente in Occi-  
dentem, à Septentrione ad Meridiem, ac  
per totum Oceani circulum cunctis gentibus,  
una pace compositis, Iani portas tertio ipse  
tunc clausit. Quas ex eo per duo decim fere  
annos quietissimo semper observatas otio ipsa  
etiam rubigo consignavit: nec prius unquam  
nisi extrema senectute Augusti pulsata Athenien-  
sium seditione & Dacorum commotione patefue-  
runt. Clausis igitur Iani portis Rempubli-  
cam. quam bello quasiverat, pace enutrire at-  
que amplificare studens, leges plurimas sta-  
tuit, per quas humanum genus libera reveren-  
tia disciplina morem gereret.*

§. 105. Igitur, juxta Jesaiam, Chri-  
stus, Salvator, mundo sub Imperio Roma-  
no lætissima pace fruente, post aliquem præ-  
cursorum viæque paratorem, venire, & Rex  
gloriosissimus fieri debuit. Quod & factum:  
nam Augusto adhuc imperante, Christus à  
Maria in lucem editus est postquam Johan-  
nes Baptista ipsius natiuitatem instantem Reg-  
numque

34 Dissertat. super Dan. 11. 44. 45.

numque coelorum, jam ab ipso erigendum, judæis quasi digito monstrasset.

§. 106. Atque ita videmus, ac quidem ex collatione prophetiarum, sensum verborum. Danielis, quæ sub manibus. Unum tamen hic notandum adhuc habemus, nempe Danielelem, quando Christum sub Regno quarto Regnum erecturum prædicit, ne-tiquam determinare, quamdiu Regnum quartum ante & post erectionem Regni Christi stare debuerit: sed tantum in genere præsignificare, Christum sub quarto Regno mundano novum Regnum spirituale suscitaturum.

§. 107. Ordo nunc postulat, ut de Regni Christi dicamus constantia, Eam Daniel indigitat his verbis: *Quod in secula non corrumpetur & Regnum ejus populo alii non relinqætur*, h. e. semper possidebitur à populo eodem, nempe natura atque indole. Qui populus solis constat fidelibus & sanctis qui se Christo subjiciunt per obedientiam fidei, atque observationem legis Regiæ sive perfectæ legis libertatis.

§. 108. Verum ante Danielelem David quoque constantiam Regni Christi prædicat  
Psalms.



Dissertat. super Dan. 11. 44. 45. 35

Pfalm. XLV. 7. *solum Tuum, O Deus, in seculum ac sempiternum.* Concinit Angelus Luc. I. 33. *Regnabit, scilicet Christus, super Domum Iacobi in secula, & Regni eius non erit finis.*

§. 109. Atque ista Regni Christi constantia provenit a Divina potentia Christi, qua hostes Regni sui partim coërcet, vel delet partim vere convertit, vel ad mentiendum sibi cogit.

§. 110. Ita Christus Romanos Idololatrias, Regnum suum in gentibus extirpare volentes, coërcuit, vel delevit, & quidem per eos, quos vel ad veram fidem adduxit, vel ad fidem saltem ore profitendam permovit.

§. 111. De qua re Apoc. XII. 13. 14. *Et quum vidit Draco, quod conjectus esset in terram, persecutus est mulierem, qua pepererat marem. Et datae sunt mulieri duae aquile illius magnae, ut volaret in desertum in locum suum h. e. duae magnae Regiones Imperii Romani, veluti Gallia & Hispania, Ecclesiae Christianae, sub persecutione constitutae, in perfugium praebitae sunt à Constantio Chloro. Et coniecit post mulierem ex*

36 Dissertat. super Dan. II. 44 45.

*ore suo aquam, ut fluvium, ut hanc flumine abreptam faceret. h. e. contra Ecclesiam Christianam, istud suffugium adeptam, novos excitavit persecutores, quales fuerunt Maxentius ac Licinius, exercitibus armati ut illam e mundo tolleret. Et opitulata est terra mulieri, & aperuit terra os suum, & absorpsit fluvium illum, quem projecerat Draco ex ore suo h. e. Constantinus Magnus, jam Christianam Religionem amplexus, populo Christiano adjutus, duos illos persecutores, Maxentium nimirum ac Licinium, devicit & oppressit; atque hoc medio Ecclesiae Christianae in universo Imperio Romano perfectam pacem conciliavit. Quod ingens beneficium sine dubio invictae potentiae Christi, Regis Ecclesiae, adscribendum est.*

§. 112. Qui deinceps etiam multos alios Reges ac Principes potenti Verbo ac spiritu suo ita illuminavit, ut gloriam suam in Regnum ipsius inferrent, seque pro Nutri-  
ciis Ecclesiae ipsius gererent, Jes. XLIX, 23. immo pro conservatione Regni ipsius gladios suos stringerent contra Hostes Ecclesiae.

113. Idemque adhuc hodie facit, & faciet Christus, quoad supererunt, qui Reg-  
num



Differtat. super Dan. 11. 44. 45. 37

num illius per Ecclesiæ persecutionem volent delere.

§. 114. Adeo, ut Regna mundana, sint licet potentissima, Ecclesiæquæ inimicis sima, Regnum Christi spirituale nunquam extripatura sint. Unde sequitur, quod constanter existat,

§. 115. Pergamus jam ad explicationem reliquorum, quæ Daniel loco nostro de Christo vaticinatur.

§. 116. Ut vero hic decenter procedamus, primo quidem Christum sub figura lapidis aut Rupis considerabimus, deinde ea, quæ de Christo Lapide a Daniele dicuntur, declarabimus.

§. 117. Extra omne dubium pono, non nisi Christum hic per lapidem intelligi posse. Namei soli tum ipsum nomen Lapidis, tum quæ Daniel de Lapide inquit quam accuratissime conveniunt.

§. 118. Hoc dato, videndum, quo sensu Daniel Christum appellet Lapidem, simulque aliorum Prophetarum loca, quibus Christo nomen Lapidis aut Rupis tribuitur, breviter exponenda.

38 Dissertat. super Dan. II. 44. 45.

§. 119. Nempe Daniel Christum vocat *lapidem*, non modo ob summam firmitatem naturæ ipsius, sed & propterea, quia in ipso Domus Dei, hoc est, Ecclesia, in qua Deus habitat, divitiisque gloriosæ gratiæ suæ luculenter manifestat, ædificata est, & ab ipso sustinetur.

§. 120. Sic Jacob Christum appellat *אבן ישראל* *Lapidem Israël* Gen. XLIX. 24. nempe quia Israël ipsi inædificatus erat, & potenti verbo æternæ sponsonis ipsius portabatur.

§. 121. Deus Pater Christum nominat *אבן כהן* *lapidem probationis* Jes. XXVIII. quoniam per ipsum, in carne manifestatum, multorum cordium cogitationes delegendæ & in apricum proferendæ erant, Luc. II. 35.

§. 122. Ibidem Deus Pater Christum insignit nomine *Lapidis Angularis pretiosi fundati fundatissimi*, ad indicandum, & Ecclesiam N. T. adeo firmiter in Christo fundaturum, tamque potenter per ipsum contenturum, ut portæ etiam inferorum eam non sint superaturæ, Math. XVI. 18.

§. 123. Apud Zachariam cap. III. 9. Deus Pater Christum titulo lapidis ornat, in



Dissertat. super Dan. 11. 44. 45. 39

in quem *septem oculi* sint convertendi, hoc est quem, veluti Mediatorem ac Salvatorem propositum, universa Ecclesia N. T. septem notabilibus *periodis* distincta, illuminatis oculis fidei intuitura sit.

§. 124. Etiam *Rupes* Christus appellatur in Scripturis jta Moyses Deut. XXXII. 3. 4. de Christo canit, *Nomen Iehova predicabo. Date gloriam Deo nostro; Rupi, cuius opus integrum est; nam omnes vie ejus judicium &c.* Appellatur autem Christus *Rupes* primo, quia æternam habet atque invictam potentiam, qua cuncta gestat & sustentat, imprimis populum suum. *In omni angustia ipsorum non seu vix angustabat angustans, quin Angelus faciei ejus h. e. Christus faciem Dei perfecte videns, & a facie Dei veniens ad peccatores, Salvaret illos: per dilectionem suam & clementiam, iste asserebat illos, & tollebat & ferebat illos omnibus diebus seculi.* Jes. LXIII. 9. Secundo quia ad ipsum tuto confugere, ipsique ad justitiam ac salutem secure confidere possumus. *Beati omnes qui se recipiunt ad illum.* Psalm. II. 12.

§. 125. Atque de hoc quidem *Spirituale* Lapide vel Rupe salutis Daniel hic tria dicit

40 Dissertat super Dan. II. 44. 45.

cit. Primum est quod à Monte excisus sit. Per Montem Daniel intelligit Rempublicam Judaicam in mundo spectabilem. Illa & a libi montis emblemate exprimitur, ut Apoc. VIII. 8. *Et secundus Angelus buccinavit, & tanquam magnus mons, igne ardens, coniectus est in mare*, h. e. Judæorum Politia, eminens super omnes Politias, propter prærogativas suas, ira divina, instar ignis ardente, deleta, disiectique Judæi per universas gentes.

§. 126. Excisus autem Christus a Republica Judæorum, quatenus *violenta* morte ab illa sublatus est

§. 127. De qua *violenta* morte Christi, ipsi per Judeos infligenda, Daniel & capitis noni versu vigesimo sexto vaticinatur; ait enim, *Et post septimanas illas sexaginta duas, sive minimum post annos quadringentos triginta quatuor, ab edicto Cyri de reducendo & de ædificandis Hierosolymis computandos, excindetur Unctus, & non erit ipsi quicquam*, hoc est, relinquetur ab omnibus Judæis, etiam discipulis suis.

§. 128. Notandum hic, Jesaiam fere eodem modo, quo loco nostro Daniel, de *violenta* Christi morte vaticinari, dum illam  
per



Differtat. super Dan. 11. 44. 45. 41

per excisionem Christi ex terra viventium  
propter defectionem populi Judaici exprimit,  
cap. LIII. 8.

§. 129. David mortem Christi, qua à  
Judæis afficiendus erat, sic prædicit, *Lapis,*  
*quem reprobarunt Architecti, factus est in ca-*  
*piti anguli* Psalm. CXVIII. 22. Per Archi-  
tectos Daniel Vigiles, Respondentes & Sa-  
cerdotes Israëlis signat, qui, etsi Christum  
occiderunt, tamen omnibus consiliis suis  
haud quaquam potuerunt impedire, ne  
Christus domum *Spiritualem* h. e. Ecclesi-  
am ex Judæis ac gentibus per Apostolos su-  
os ædificaret, eamque merito & potentia &  
Spiritu suo uniret, ac contineret.

§. 130. Neutiquam omittendus hic Mo-  
ses, ex quo Prophetæ jam citati in præsen-  
ti negotio locuti sunt, *Ieschurun omisit De-*  
*um, qui fecit ipsum, & tanquam sceleratum*  
*tractavit Rupem salutis sua,* Deut. XXXII. 15.  
Cum potius ad ipsum cum timore ac tremore  
confugere, ipsum apprehendere, ipsi inniti,  
in ipso veram justitiam ac salutem quærere,  
sicque in ipso, ut perfecto Redemptore &  
Salvatore, cum animi lætitia maxima glo-  
riari debuisset.

§. 131

42 Dissertat. super Dan. 11. 44. 45.

§. 131. Transimus nunc ad secundum, quod Daniel hic de mystico lapide, Christo, prædicat. Et illud quidem hic verbis continetur: *Qui non erat in manibus.*

§. 132. Interpretes has voces  $\text{וי לא בידיו}$  vulgo referunt ad  $\text{חגורו}$  *excisus est*, indeque vertunt cum proxime præcedentibus, *A Monte excisus est lapis sine manibus* omissa prorsus relativa particula  $\text{וי}$  quæ Hebræorum  $\text{וה}$  respondet. Ita LXX. & Arabs Interpretes. Illi enim reddunt,  $\text{ἐδεώρεῖς, ἕως ἀποσχίδου λίθου ἐξ ὄρους ἀνευ χειρῶν}$ . Hic,  $\text{וי לא בידיו}$  *Quæ eodem recidunt.*

§. 133. Sed, ut dicamus quod res est, illa interpretatio sine dubio mala est, utpote quæ non exprimit omne id, quod verba Spiritus S. aperte præse ferunt.

§. 134. Deinde quare superflua sit vocula  $\text{וי}$  cum. habita ratione ejus, verba Danielis aptissimum præsentī loco verissimumque sensum fundant.

§. 135. Contra sensum exhibent falsissimum, neglecto pronomine relativo  $\text{וי}$  Petrus enim Act. II. 23. diserte docet, Judæos Christum  $\text{διὰ χειρῶν ἀγόμων}$  *manibus scelerat-*



Differtat. super Dan. 11. 44. 45. 43

*selevatorum affixum interemisse*, atque adeo à Politia sua abscidisse.

§. 136. Merito igitur retinemus nostram versionem, paulo ante positam quam & Syrus Interpres sequitur; habet enim, חויה דאח גורת כיפא דלא באירן Sicque putamus omnino, Danielis mentem esse, Regnum Christi *Spirituale* neque consiliis, neque auxiliis humanis, sed solius Christi sapientissimo consilio ac vi divina erigi, stare, crescere, & Regna mundi, sibi contraria, (qualia sunt omnia Nebucadnezari in statua repræsentata) affligere ac diruere.

§. 137. Restat, ut & tertium, quod Daniel hoc loco de Lapide, hoc est, Christo, affirmat, consideremus. Illud hæc verba exhibent. *Et comminuebat ferrum æs testam argentum & aurum.*

§. 138. Agendum itaque hic de vi ac robore Regni Christi. Quod quartum est de iis; quorum explicationem supra promissimus.

§. 139. Et quidem statim jure quæri potest, quo sensu commode Christus aurum, argentum et æs comminuere, hoc est, Imperia Babyloniorum, Persarum, Græcorum destru-

44 Dissertat. super Dan. II, 44, 45.

destruere potuerit, cum ea tempore erectionis Regni Christi intergentes jamdudum destructa fuerint.

§. 140. Sed facilis est Responsio. Nimirum omnia ista Imperia adhuc extabant, quum Regnum Christi in gentibus fuscitatur, quatenus nefanda peccata, veluti idololatria, superstitio, impietas, odium ac persecutio populi Dei, quæ in illis olim viguerant, etiamnum in Romanorum Imperio, sub quo Christus Rex tum Judæorum tum præcipue gentium factus sive clarissime demonstratus est, Jes. LII. plenum Dominum obtinebant. Non mirum igitur, quod Daniel auri, argenti atque æris comminutionem Christo, Regi factò, attribuat.

§. 141. Quemadmodum vero auri, argenti, æris, ita quoque ferri ac testæ contritionem hoc est, Imperii Romani, tam divisi, quam non divisi, abolitionem Christo, in gentibus regnanti, Daniel assignat.

§. 142. Et merum quidem ferrum quod attinet, illud jamdudum à Christo contritum est. Hoc volo, Romanum Imperium vetus ante complura secula Christi voluntate ac providentia destructum esse.

§. 143.



Dissertat. super Dan. 11. 44. 45. 45

§. 143. De quare Daniel etiam cap. VII.  
4. vaticinatur *Perseveravi videre, donec de plumata sunt ala ejus, primi nempe animalis sive Leonis, & sublatum est ex terra, & in pedes tanquam homo constitutum est.* Quibus verbis Daniel significat, indubie Imperium Romanum vetus, tempore à Christo destinato, in Oriente & Occidente imminutum iri, parvumque spatium in mundo retenturum. Quod ut à Daniele prædictum, ita revera factum est.

§. 144. Non tantum vero Daniel, sed & Bileam longe ante Danielem Imperii Romani deletionem præcinuit Num: XXIV. 24. *גַּם הוּא עָרִי אֶבֶר* *Etiam ille, nempe qui subegit Eber, in interitum abibit.*

§. 145. Quin etiam Habacuc non multo ante Danielem Romani Imperii veteris dissolutionem prædixit, his verbis: *Et quante magis vinum perfide ageret, vir superbus, qui non habitat; qui dilatavit instar inferni animam suam, & ipse est ut mors, & non satiatur, & aggregat ad se omnes gentes, & colligit ad se omnes populos. Annon hi omnes super ipso parabolam ferent, (& interpretatio erit ænigmata ipsi) & dicet unus quisque? Vae multiplicanti non sua! Quo usque?*

¶

46 Dissertat. super Dan. II. 44. 45.

*& accumulanti in se as alienum! Nonne subito surgent foeneratores Tui, et evigilabunt excruciantes Te, et eris in direptiones ipsis? Nam Tu spoliasti gentes amplas, spoliabunt te omne residuum populorum, propter sanguinem hominis & vim (sive injuriam) terræ, urbis, et omnium habitantium in ea, Cap. II. v. 5. 6. 7. 8. Nemo miretur, nos hæc verba ad Romanorum Imperium vetus referre. Postulat enim id cum filum vel ordo prophetiæ Habacuc, tum res ipsa. Notandum autem, Habacuc hoc loco non modo Imperii Romani à gentilibus ad Christianos translationem (de qua & Paulus 2 Thes. II. Nunc quid detineat, Antichristi scilicet revelationem, scitis. Tantum qui detinet h. e. Romanus idolatra, donec è medio fiat, sed etiam ejusdem, à Christianis jam dudum possessi, occupationem & miserrimam devastationem per multos populos barbaros præsignificare.*

§. 146. Quos quidem populos barbaros, impleta jam periodo dominationis Romanorum, ipse Deus ad ist hoc opus advocavit, ut patet ex Jes. Cap. Evi. vers 8. 9. *Dicit Dominus Deus, congregans depulsos Israelis: Adhuc aggregabo ad aggregatos omne animal in sylva.* Clare significant hæc verba, Ecclesiæ, ab idololatrarum furore liberatæ, per



Differtat. super Dan. 11.44. 45. 47

peraccessum multorum populorum ad eam; & deinceps secutam plurimarum, earumque barbararum, & à Christi nomine alienarum gentium adductionem in Imperium Romanum, ad puniendum hypocritas, & castigandum fideles, cum hypocritarum erroribus ac peccatis communicantes, sub una Hierarchia (quæ eleganter emblemate sylvæ indigitatur, quia Hierarchæ instar procerarum frondosarumque arborum, cœli aspectum adimentium, habent conf. Es. XXXII. 19. Zach. XI. 2.) collectos.

§. 147. Atque istas gentes barbaras, quæ Imperium Romanum diruerunt, Daniel ratione ignobilis minimeque amabilis indolis cum Urso confert Cap. VII. 5. *Et ecce animal aliud secundum simile Urso, & in laus unum constitutum est, h. e. Occidentem versus, & tres costa in ore ejus erant inter dentes ejus, id est, tres magnas regiones Romani Imperii, veluti Italiam Galliam, Hispaniam, præcipue comminuebat, & sic dicebatur ei: Surge, comede carnem multam.*

§. 148. Maxime notabiles sunt Hieronymi querelæ de ingenti calamitate Romani Imperii regionibus ac subditis isto tempore per tot tetras & terribiles gentes illata. *Vi-*

D

gini

ginti & amplius anni sunt, inquit eximius ille  
 Vir Epist. 3. quum inter Constantinopolim &  
 Alpes Iulias quotidie Romanus sanguis effun-  
 ditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam,  
 Dardaniam, Daciam, Thessaliam, Acha-  
 jam, Epirum, Dalmatiam, cunctasque Pan-  
 nonias, Gothos, Sarmata, Quados, Ala-  
 nus Hunni, Vandali, Marcomanni infe-  
 stant, capiunt, Quid putas nunc habere ani-  
 mi Corinthios, Athenienses, Lacedaemonios  
 Arcadas, totamque Graciam, quibus impe-  
 rant Barbari? Rursum Epist. II: Innumera-  
 biles & ferocissima nationes universas Gallias  
 occuparunt: quicquid inter Alpes & Pyre-  
 naeum est, quod Oceano & Rhodano includi-  
 tur Quados, Vandalus, Sarmata, Alani,  
 Sepide, Heruli, Saxones, Burgundiones,  
 Alemanni, & hostes Pannonii vastarunt.  
 Moguntiacum capta & eversa est, & in Ec-  
 clesia multa hominum millia trucidata. Van-  
 giones longa obsidione deleti. Remorum urbs  
 prepotens, Ambiani, Atrebates, Morini,  
 Tornacus, Nemetes, Argentoratus, tran-  
 slati in Germaniam. Aquitania Novemque  
 Populonia, Lugdunensis & Narbonensis Pro-  
 vincia, prater paucas urbes, populata sunt  
 cuncta. Non possum absque lachrymis Tolo-  
 sa facere mentionem, quae ut hucusque non  
 ruerit



Differtat. super Dan. II. 44. 45. 49

ruerit S. Episcopi Exuperii merita praestiterunt. Ipsa Hispania jamjamque peritura contremiscunt. Roma vitam auro redimit. De ipfius Romæ miserrimo statu sub illis barbaris ita queribundus scribit idem Vir Magnus: ad Demetriadem *Capitur urbs, qua totum cepit orbem: imo fame periit, antequam gladio, & vix paucique caperentur, inventi sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies, & sua invicem membra laniant, dum mater non parcat lactenti filio, & suo recipit utero, quem male ante effuderat. Nocte Moab capta est: nocte cecidit murus ejus. Quis cladem illius noctis quis funera fando explicet?*

§. 149. Et si autem Romanum Imperium vetus per fuscum Ursum penitus destructum est in Occidente, tamen in Oriente per eum non est deletum. Nam nova Roma sive Constantinopolis Imperatores habuit post sublatos Imperatores Romæ antiquæ sive principis Italiæ urbis, ut constat ex Historia.

§. 150. Attamen & isthoc Orientis Imperium ob corruptionem doctrinæ & impietatis incrementum per Saracenos primum debilitatum, deinde per Turcas extinctum est.

§. 151. Quos populos Daniel respectu summæ immanitatis, & admirabilis in rebus gerendis pernicitatis Pardo comparat cap. VII. 6. *Postea vidi, & ecce aliud animal scilicet, Pardus, & id habebat alas quatuor volucris in dorso suo*, hoc est, *minimum* quatuor regiones Imperii Romani, Syriam puto, Africam, Asiam, Græciam, bello occupatas. possidebat, & *quatuor capita habebat id animal*, id est, totidem *precipue* obtinebat Dynastias. nempe Syriacam, Africanam, Asiaticam, Græcam. Confer Jes. LVI. 9. ubi sub *feris agri* etiam Saraceni & Turcæ comprehenduntur.

§. 152. Atque isto cum Pardo postea Animal quartum metuendum & terribile & robustum admodum, de quo Daniel versibus statim sequentibus, bellum atrox per aliquot secula gessit ad recuperandum Romani Imperii terras, quas Pardo crudeliter rapuerat.

§. 153. Quo in bello, *sacro scilicet*, Animal quartum multas egregias victorias Pardo extorsit. De quibus Daniel Cap. XI. 40. Et arietabit cum ipso, Rege Deum Arcium in loculamento suo honorante, *Rex Austri*, hoc est, Rex Saracenorum, qui ab Austro



Differtat. super Dan. II. 44. 45. 51

Austro sive ex Arabia aromatifera ingruet,  
& inhorrescet contra ipsum Rex Aquilonis,  
sive Aquilonem versus rerum potiens, cum  
curribus & equitibus et navibus multis, et ve-  
niet interras, et inundabit, & transibit. Item  
Michæas Cap. V. 4. 5. Et erit hac pax  
Assyrius (h. e. Saracenus & Turca, Assi-  
riae Domini) quum veniet in terram nostram, &  
quum calcabit palatia nostra, excitabimus con-  
tra ipsum septem Pastores & octo Unctos Ho-  
minis: & pascent terram Assyrii gladio,  
& terram Nimrod in ostiis ejus. Et eripiet  
ab Assyrio, nempe aliquis de Pastoribus &  
Unctis à Papa, veluti Gothofridus, Dux  
Bullionæus, qui primus novi Regni Hiero-  
solymitani coronam adeptus est, quum veniet  
interram nostram. & quum calcabit terminos  
nostros.

§ 154. Sed quid tandem profuerunt  
omnes istæ victoriæ? Nihil profecto. Nam  
Assyrii omnia recuperarunt, quæ Bestia per  
multa discrimina, multis laboribus, multis  
sumptibus ipsis ademerat. Idque non sine  
singulari iudicio divinæ adversus Christianos  
excandescentiæ contigit. Ut adeo manifesto  
impletum sit quod de ista expeditione parum  
sacra quippe non ad convertendas, sed spo-  
liandas ac trucidandas extirpandasque gentes

52 Dissertat. super Dan II. 44. 45.

suscepta, Deus prædixit: *Et extitit ipsis tanquam bellua, tanquam Pardus in via Assjria occurrebam ipsis, in ursus orbis & lace-  
rabam claustrum cordis ipsorum, & edebam eos ibi ut leo; fera agri diffindebat eos, Hos. XIII. 7. 8.*

§. 155. Nec tantum illa omnia in potestatem suam rursus redegerunt Assjrii, sed alias quoque complures Christianorum, Deo mentientium, terras, sapiente Dei permisso, imo jussu, deinceps Imperio suo subjecerunt. Donec tandem per expugnationem Constantinopolis, uniuersum Imperium atque Ecclesiam Græcam victricibus armis subjugarunt, deque iis triumpharunt.

§. 156. De qua re egregie vaticinatus Hoseas est X. 6. 7. *Etiã ille Cherub. sive Vitulus vid. comma primum vers. 5. h. e. Patriarcha Constantinopolitanus, in quo Deus ac Spiritus ejus credebatur peculiari modo habitare, seque manifestare, in Assjriam deportabitur, sub jugum Regis Assjrii mittetur, munus Regi Adversario, Antichristo qui ὁ Ἀντικρίστος ille Adversarius appellatur 2 Theff. II. 4. Urgente Imperatore Græco, se subijciet, eumque adorabit, spe auxilii contra Assjrios consequendi. Pudor Ephraim.*



Differtat. super Dan. II. 44. 45. 53

*Ephraimum occupabit, & pudesiet Israel à Consilio suo,* Ecclesiam Græcam, schismate divisam à Iudea sive Ecclesia Latina, pudebit subjectionis atque obedientiæ, Imagini Bestiæ oblatae, & opis à Rege Adversario petita, cum se inani spe auxiliij lactatam videbit: atque ita re ipsa experietur, muniti- onem Pharaonis, Regis Spiritualis Aegypti, fieri omnibus in pudorem, & perfugium ad umbram Aegypti in ignominiam, Es. XXX. 3. vel, ut Deus ipse apud Ezech. loquitur XXIX. 6. *Aegyptum existere scipionem arundineum domui Israel Interiit Samaria Rex ejus, ut bulla in superficie aquarum,* celeriter ab Assjriis expugnata Constantino- polis, Ephraimi sive Ecclesiæ Græcæ Me- tropolis, & in ea occisus Imperator. Con- fer Hof. XIV. 1. *Luit Samaria, quia inobe- diens extiit Deo suo. gladio cadunt: pueri eorum dilaniantur, & foeta ejus funduntur,* Factum id A. C. 1453. Friderico III. in Ger- mania Nicolao V. in universa propemodum Europa rerum potiente.

§. 157. Atque ea ratione omnino evenit, quod extat Mich. VII. 12. *Dies est, & ad Te veniet ab Assyria usque ad urbes mu- nitas, Asiæ, & à munitione usque ad fluvium, Danubium, & ad mare à mari, à*

34 Differtat. super Dan. II. 44. 45

Ponto Euxino ad mare Adriaticum Cujus prophetiæ implemento Pardo dominatio data est. Dan. VII. 6.

§. 158. Sic igitur vidimus, statuae crura ex mero ferro comminuta, atque adeo etiam Leonem ab Urso ac Pardo dilaceratum devoratumque, hoc est Imperium Romanum ad Christianos translatum primum quidem in Occidente per Gothos, Hunnos, Vandalos, Francos, Longobardos etc: qui fuscum Ursum constituunt, deinde etiam in Oriente per Saracenos & Turcas, quibus maculosus Pardus constat, justissimo judicio Christi, Regis, exitio datum esse.

§. 159. Quod idem fatum etiam pedes statuae partim fereos, partim fictiles, ac proinde Animal quartum tetrum & terribile, hoc est, Regnum quartum divisum, manet, ut patet tum ex loco nostro, tum ex Danielis cap. VII. vers 11. 12. & 26.

§. 160. Huc omnino referre debemus, quod Daniel cap. XI. 45. de Rege Deum peregrinum agnoscente vaticinatur: וְבֵאֵר לוֹ אֶת־עֵצָתוֹ וְאֵת־מַלְכוּתוֹ וְאֵת־מְדִינָתוֹ וְאֵת־מְשָׁלָתוֹ וְאֵת־מְשָׁלָתוֹ וְאֵת־מְשָׁלָתוֹ *Et veniet ad finem suum, & non erit auxiliator ipsi.* Item quod Johannes Apoc. XVII. 11. de Rege Octavo prædicat,



dicit: *Et Bestia, qua erat, & non est, & ipse octavus est, & ex septem est, καὶ εἰς ἀπόλειαν ὑπάγει & in interitum abit.*

§. 161. Et vero, si ad σημεῖα τῶν καιρῶν *signa temporum* accurate attendamus, clare videbimus, jam tempus imminere, quo Christus, Rex, Imperium duplex in uno diruet.

§. 162. Quo demum facto, juxta Dan. II. 35. *statuæ aurum & argentum, æs & merum ferrum* perfecto sensu comminuentur: quæ nostris temporibus aliquo modo adhuc existunt. Lubet id verbis magni Cocceji ad hunc locum exprimere: *Quemadmodum imago illa una est, ita etiam videntur partes imaginis unâ esse, & una aboleri. Quamdiu una imperantium mens, tamdiu una Imago. Mens una est, quamdiu non volunt esse Ecclesie nutrij, & in eam inferre gloriam suam. Haftenus multi, qui sibi visi sunt amici Christi & Regni ejus, inservierunt Bestiæ & Imagini Bestiæ. Illis abolitis, demum omnia illa Imperia simul sublata videbuntur. Adhuc regnat Nebucadnezar, Artaxerxes Longimanus, Antiochus, Nero, Domitianus, & similes adversarii in iis, qui similia faciunt.*

56 Differtat super Dan. II. 44. 45.

§. 163. Comminutis autem simul ferro, testa, ære, argento & auro, *Lapis, qui percusserat imaginem, mons fiet permagnus, qui totam terram implebit, ut Daniel ibidem vaticinatur.* Quo sane nihil aliud præsignificatur, quam illo tempore Christi nomen toto mundo celebratum iri, atque adeo Regnum Christi ad universas gentes perventurum.

§. 164. Labet hic ponere versus, quos olim de propagatione Regni Christi per totum mundum, animi delectandi causa composuimus.

**A**Nte thronum Christi, late regnare volentis,  
Deponent Reges aurea sceptrata sua.  
Quæ jam præcelso mentitur Bestia Christo  
Obsequio prompto subjicietur ei.  
Tartarus & Moschus tum Christi sceptrata timebunt:  
Atque manus victas Græcia tota dabit,  
Cedet ei Sinear, concedet nobilis Elam,  
Assur & Ægyptus fertilis atque Chamath.  
Et Jacob Verbi gladio devictus acuto  
Submittet Christi mitia colla jugo.  
Sic etiam Christum, clementia sceptrata gerentem,  
Casta mente lubens India tota colet.  
Quin immo prompte, quos fert latissima China,  
Regnanti Christo munera pura dabunt.  
Et sua dona feret tum Cuschi filius: una  
In Christum credet natio magna Puti,  
Serviet & Christo trepidans Atlanticus Orbis:  
Et siquos homines torridus Auster habet;

Hi



Dissertat. super Dan. I I. 44. 45. 57

Hi quoque se jungent, audita voce potentis  
Verbi: quo Christus pessima corda domat.

§. 165. Qua ratione *regnum & Domina-  
tus & majestas Regnorum sub omni cælo da-  
bitur populo sanctorum Altissimorum, cujus  
regnum regnum seculi, & omnia imperia ipsi  
servient & obediant* Dan. VII. 27. Confer  
Jes. LX. Apoc. XXI. & XXII. usque ad  
vers. 6. Certum enim est, omnia, quæ  
ibi dicuntur, ad ultima tempora N. T. per-  
tinere. Quod solide demonstrare possemus,  
si quidem hic necessarium foret.

§. 166. Atque ita Interpretationem dedi-  
mus cum analogia fidei, cum verbis Spiri-  
tus S. cum rebus in mundo & Ecclesia ges-  
tis, cum prophetiis denique aliis perfecte  
convenientem. Unde nulli dubitamus,  
quin interpretatio nostra sit verissima, & ab  
omnibus, imprimis illis, qui Bestiam &  
Imaginem ejus non adorant, approbanda.



Ap-

## Appendix.

§. 1.

**E**X dictis patet, Regnum Christi permanens, Regnum vero Antichristi deletum iri.

§. 2. Hoc cum omnium certissimum sit, quare timeremus interitum Regni Christi, nostro præsertim tempore, quo id à Regno Antichristi quam maxime oppugnatur?

§. 3. Et, nonne tot illustria habemus exempla Regni Christi in vera Ecclesia conservati sub vehementibus persecutionibus, olim adversus illam excitatis ab Antichristo, & Regibus cum ipso scortantibus?

§. 4. Quin immo nonne toties Antichristus, Regesque ipsi potentiam ac potestatem suam tradentes à Christo profligati, atque adeo pudefacti sunt, quoties Regnum ejus atque Ecclesiam furibundi oppugnarunt?

§. 5. Videas igitur, Babylon, si quidem oculos habes ad videndum, furorem tuum adversus Regnum Christi, & Ecclesiam ejus omni tempore irritum fuisse.

§. 6.



Dissertat. super Dan. II, 44. 45. 59

§. 6. Hanc ob causam nullo tui timore tenemur quotquot ad Christi Regnum atque Ecclesiam pertinemus, licet nos hodie dirisimum in modum persequaris.

§. 7. Quæ tamen persecutiones tuæ atque afflictiones non obscurant Ecclesiam Christi, sed conciliant ei purissimum gratissimumque nitorem; neque imminuunt ejus veram fidem ac sinceram charitatem, quibus Soli Viro & capiti suo, Christo, simplici cordis adfectu, columbæ instar, adhærescit, aut spem gloriæ Dei, qua incredibilem in modum exultat; sed valde augent potius ac manifestant.

§. 8. Unde Sponsa Christi ipsa de se fatetur: אני חבצלה השריר שושנה הטמקיים *Ego sum rosa Saronis, Liliū convallium*, Cant. II. 1. hoc est, quamvis conculcer pedibus, & comminuar dentibus *taurorum caballorumque* Psalm: XXII. 13. Amos IV. 1. sive hostium meorum injuriis & violentiæ exposita sim, tamen suavis odor fidei meæ in sanguinem Christi, quo aspersa sum, se longe lateque diffundit, meusque erga Christum candor atque integritas omnibus attendentibus patet.

60 Dissertat. super Dan. II. 44 45.

§. 9. Sponsæ voci succinit Sponsus: כן החוחים כן רעיתי בין הכנור *Ut lilium inter spinas, ita socia mea inter filias*, ibid. vers 2. id est, dum socia mea inter improbos Judæos, se solos pro veris Dei filiis habentes, commorans ab iisdem, veluti horridis spinis, compungitur, 2 Sam. XXIII. 6. me, & justiam meam, & Regnum confitendo, ac vias meas amando emicat in mundo, elegantissima veste salutis ornata, omnibusque est admirationi, & multis voluptatis & lætitiæ causa.

§. 10. Propterea veram Ecclesiam non pudet crucis Christi, sed illam *cantat pariem suam*, hoc est, in ea gloriatur, Jes. LXI. 7. Quia novit, se Christi crucem patienter ferendo glorificare Christum, ut ἀρχαῖον Ἰησοῦ σῶτηριος, διὰ παθημάτων τετελειωμένον *principem salvis, per passiones consummatum*, Hebr. II. 10. & obsignare vel confirmare veritatem mysterii fidei. Immo quoniam persuasum habet communionem crucis Christi conjunctam esse cum communione gloriæ Christi, Rom. VIII, 17. & regni ejus, 2 Tim. II. 12.

§. 11. Dumque Ecclesia non erubescit ignominiam ac opprobrium Christi, obtemperat



Dissertat. super Dan. 11. 44. 45. 61

perat voci Christi, qua illam humanissimum in modum alloquitur, Cant. II. 14. *Columba mea in fissuris petrae, in latebra fastigii, monstra mihi vultus tuos, fac me ut audiam vocem tuam: quia vox tua suavis est, & vultus tuus decorus*, hoc est, noli inter Judaeos, populum duro corde praeditum, ac propter veteres praerogativas suas valde elatum latitare, & nomen meum reticere, metu afflictionis & mortis, vel pudore crucis meae, sed fiduciam ac gloriationem spei usque ad finem firmam retinens prodi in publicum, & confitere salutem meam, omniaque bona maxima, quae tibi paravi, praedica, nihil metuens quae passura es, & summam gloriae tibi ducens communionem passionum mearum: nam confessio spei tuae non modo mihi, sed & fratribus tuis ac conservis gratissima est, fideique tuae & charitatis, ex corde puro & sincero profectae, manifestatio mihi, ut Redemptori ac Salvatori, tibi ut redemptae ac salvatae, prorsus gloriosa existit.

§. 12. Et vero quare Ecclesia erubesceret afflictiones propter nomen Christi exantlandas aut eas prompte suscipere, & patienter sustinere detrectaret? cum clare praedictum sit, *non nisi δια κοινῶν ἀγλαῶν* suppe-

ditari

62 Dissertat. super Dan. 11. 44. 45.

ditari introitum in Regnum Dei Act. XIV. 22. omnesque, qui voluerint pie vivere in Christo Jesu, persecutionem passuros, 2 Tim. III. 12 & fideles occisum iri propter Dominum, & כצאן טבחה *ὡς πρόβαλα σφαγῆς* reputatum iri Psalm. XLIV. 23. Romi. VIII. 36. Quod agnoscit etiam ac ingenue fatetur sponsa Christi, simulque se ipsa consolatur & erigit, cum ait Cant. I. 13. צרור לין *Folliculus myrrha est mihi dilectus meus, qui inter ubera mea pernoctat,* hoc est, amor Christi & sincera professio justitiæ ac Regni ipsius in amarissimas me conjicit persecutiones atque afflictiones: quæ tamen gratæ mihi sunt ac suaves, quia dum patior propter nomen Christi, ipse in corde meo habitans per veram fidem in ipsum me magis magisque ad imaginem Dei renovat, me consolatur, me recreat, spem firmam communionis gloriæ suæ post habitam communionem perpeffionum ac mortis suæ per vividum arrhabonem Spiritus sui mihi faciendo.

§. 13. Deinde nulla in persecutionibus, quæ contra Evangelii veritatem instituuntur, inest turpitudine, ut Ecclesia iis vexata ullo propterea pudore corripri debeat aut suffundi, Inculcat id S. Petrus I. Epist. Cap. IV.



Differtat. super Dan. II. 44. 45. 63

16. si quis vestrum patiatur ut Christianus, ne erubescat; glorificet autem Deum in parte hac. Unde Sponsus ad Sponsam suam, cum equitio Pharaonis modo comparatam, dicit: *Decora sunt gena tuae in capistris, collum tuum in habenis.* Cantic. I. 10. hoc est, dum te mundus propter Evangelium meum infectatur ac infestat, non debes tibi ideo ullam turpitudinem attribuere: nam ego per afflictiones ac persecutiones te abduco à communione improborum, & contineo te in fide & charitate, & rego te, ne offendas in viis meis, & duco te ad vitam & gloriam æternam. Quare decoram te puta licet mundus, qui non cognoscit pulchritudinem tuam, omnium te turpissimam ducat, te vexet, & gravissimis contumacijs te afficiat, Maxime propterea, quia *circulos ex auro faciemus tibi cum punctis argenteis*, ibid. versu 11. Ego & Pater meus & Spiritus Patris mei ac meuste semper in cruce, propter Evangelium læte suscepta, ita gubernabimus per sanctificationem, ut crux ista ampla occasio tibi existat copiosos fructus justitiæ fidei, qui tibi maximo ornamento sint, in communione nostri proferendi.

§. 14- Porro Christus Ecclesiam, sub persecutionibus constitutam, ponit ut signum

B

133

64 Dissertat. super Dan 11. 44. 45.

*in* cor suum, ut signum in brachium suum, sive semper ejus memor est per amorem suum, conjunctum cum Zelo Regni sui, & gloriæ ac salutis Ecclesiæ: quorum ille *invictus est, ut mors, hic durus, ut Orcus*; imo *scintille hujus sunt scintilla ignis, flamma Dei*. Unde *aqua multa, populi multi* (confer Apoc. XVII. 1. 15.) *non possunt extinguere amorem Ecclesiæ erga Christum, Sponsum suum, & fluvii, hostiles exercitus, horribili impetu irruentes, non inundabunt illum. Si deus Vir omnes opes domus sue pro amore Ecclesiæ ut nempe eo Meretricem magnam persequatur, ludibrio habebitur, Cant. VIII. 6. 7.* Quod egregium dictum sine dubio ad ultima N. T. tempora pertinet.

§. 15. Denique Ecclesia per hostium persecutiones pervenit ad victoriam ac triumphum de iis. Quod Psalmus CX. 7. luculenter docet, istis verbis. *Ex torrente in via bibit*, Christus in corpore suo in Ecclesia in via justitiæ ac salutis ambulante afflictionum persecutionumque torrente veluti obruitur, atque ita de eo bibit. *Ideo extollet caput*, h. e. cum Ecclesia de hostibus victis gloriose triumphabit.

§. 16, Igitur si te in posterum rufus Dra-

co



Differtat. super Dan. II. 44. 45. 65

Co concitet adversus Ecclesiam, Babylon, lætabunde fortique animo furorem tuum feremus, memores, nos ad *passiones* vocatos esse, quia & Christus passus est pro nobis relinquens nobis ὑπογραμμὸν exemplum, ut sequamur vestigia ipsius, 1. Petr. II. 21. atque ita aspicientes in fidei ducem & consummatorem Iesum: qui pro gaudio sibi propositio sustinuit crucem, ignominiam contemnens, & in dextra throni Dei confedit, Hebr. XII. 2.

§. 17. Quin immo gloriabimur in afflictionibus, scientes, quod afflictio patientiam operetur, patientia experientiam, experientia spem non pudefacientem Rom. V. 3. 4. 5.

§. 18. Atque ita libari nos patiemur, siquidem Deus tanto honore dignatus nos fuerit, hoc est, sacrificio vel morti Christi mortem nostram adjungemus tanquam ἀντὶδῶν libamen 2 Tim. IV. 6. nempe non ad conferendum quicquam expiationi peccati, aut ad promerendam gloriam æternam, (reputamus enim non esse dignas *passiones* temporis, quod nunc est, ad gloriam, que futurum est, ut reveletur in nos, Rom. VIII. 18.) sed ad celebrandum unicum sacrificium Christi, quo peccata nostra perfecte expiata sunt, & justitia æterna nobis adducta est, ad grã

66 Dissertat. super Dan. II. 44. 45.

tias ipsi agendum de eo, ad conciliandam, nobis plenissimam certitudinem communionis ejus, ad confirmandam fratrum nostrorum fidem in illud, denique ad adducendum alios ad ὁμολογίαν Confessionem illius.

§. 19. Qualem mortem obeuntes exhibemus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, placentem Deo, rationalem cultum nostrum. Rom. XII. 1. Bene notandum, quod dicit Apostolus, hanc hostiam nostram esse *εὐάρεστον τῷ Θεῷ* Eodem plane modo etiam Canticum Canticatorum Salomonis mortem Sanctorum, pro nomine Christi perfortem fidem & charitatem insignem toleratam, sub venustissima figura sacrificii quod Deo gratum & pro *εὐωδία* sit proponit cap. III. 6. Quæ est hæc ascendens ex deserto, ut palmæ fumi, suffumigata myrrha & thure præ omni pulvere aromatarum?

§. 20. Sed nec semper tuis persecutionibus & afflictionibus prementur fideles Dei servi, Babylon. Constitutæ sunt iis à Deo certæ periodi, quibus finitis, *καί ποτε ἀναψέξουσ* temporibus refrigerii fruuntur, Act. III. 19. Et victoriam reportabunt de Bestia, et Imagine ejus, et signatura ejus, et de numero nominis ejus, stantes supra mare vitreum, (quo



Dissertat. super Dan. 11. 44. 45. 67

(quo pax & tranquillitas mundi eleganter notatur) *habentes citharas Dei*, Apoc. XV. 2.

§. 21. Et vero omnino putamus, istas periodos mox finitum iri, iisque finitis, te severissimo Dei iudicio interitui datum iri.

§. 22. Quod quum factum fuerit, tum tibi, Rex Spiritualis Babylonis, illudemus, & voce triumphantium ad te dicemus: *Dejecta est in Infernum erectio tua, strepius nabliorum tuorum, subier te sternetur vermis, & operimenta tua lumbricus. Quomodo de caelo decidisti, ô Lucifer, fili aurora, in terram incisus es, qui prepositus gentibus infirmabas? Dixisti in corde tuo, ascendam in caelum, supra stellas Dei omnipotentis efferram sedem meam, & sedebo in monte convenius, in lateribus Aquilonis, ascendam super celsa nubis, assimilabor Aliissimo. At in Infernum dejectus es, ad latera fovea, Es. XIV, 11. 12. 13. 14. 15.*

§. 23, Immo tum effuse exultantes perpetuo canemus: *Alleluja: salus & gloria & honor et potentia Domino Deo nostro. Quia vera et justa sunt iudicia, ejus: quia judicavit Meretricem Magnam, qua corrumpit ter-*

63 Dissertat. super Dan. II. 44. 45.

ram scortatione sua, et vindicavit sanguinem  
servorum suorum ex manu ejus. Apoc. XIX.  
I. 2. atque adhortabimur nos mutuo ad tam  
grande Dei opus conjunctis laudibus cele-  
brandum, acclamantes: *protulit Iehova ju-  
sticias nostras: venite et narremus in Sion opus  
Iehovæ Dei nostri, Jerem. LI. 10.*

F I N I S.



Dif-



II.

Dissertatiuncula  
super.

Apoc. VII. 9.

10. 11. 12. 13. 14.

15. 16. 17.

Disser. carinensis

super.

Apoc. V. 11. 2.

1. 11. 13. 14.

1. 16. 17.

P  
q  
13. 14.  
jam  
mam  
clesia  
iri. D  
§.  
proce  
cum b  
comp  
§.  
parap  
ecce in  
rat, e  
linguis  
(remp



# Dissertatiuncula super

Apoc. VII. 9. 10. 11. 12.  
13. 14. 15. 16. 17.

## §. I.

**P**Lurimi Theologi Prophetiam, quæ extat Apoc. VII. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. ad Ecclesiam in cælo jam versantem referunt. Sed omnino existimamus, luculentam istam Prophetiam in Ecclesia adhuc in mundo constituta impletum iri. Demonstrabimus id quoque paucis.

§. 2. Ut vero hoc negotii eò feliciter procedat, ponemus primo verba prophetiæ, cum brevi paraphrasi, deinde prophetiarum comparisonem instituemus.

§. 3. Verba prophetiæ, brevi illustrata paraphrasi, sic sonant: *Post hæc vidi, & ecce turba multa, quam numerare nemo poterat, ex omni gente & tribubus & populis et linguis stantes coram Throno et coram Agno* (nempe in tota terra, in qua Deus & Agnus

72 Explicat. Apoc. VII. 9. 10. 11. &c.

nus Regnum, merito obedientiæ ac mortis suæ acquisitum, tum obtinebit) amicti stolis candidis, purissima justitia Christi ornati & pace, effectu illius, donati; & palmæ (victoriæ hieroglyphicum) *in manibus eorum: et clamantes voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet in Throno et Agno.*

§. 4. *Et omnes Angeli stabant circa thronum et seniores et quatuor animalia* (de quibus Apoc. IV. V. VI.) *et cadebant coram throno in faciem suam, et adorabant Deum, dicentes: Amen; benedictio et gloria et sapientia et gratiarum actio et honor et potentia et robur Deo nostro in secula seculorum Amen.*

§. 5. *Et respondit unus ex senioribus, dicens mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, quinam sunt, et unde venerunt? Et dixi ipsi: Domine, tu nosti.*

§. 6. *Et dixit mihi: Hi sunt qui veniunt ex afflictione magna* (de qua Elai. II. a versu 10. usque ad finem. Dan. XII. 1. Zach. X. 13. Apoc. III. 10. VI. 12. 13. 14. 15. 16. 17. XVI. 17. 18 19. 20. 21.) *Et laverunt stolas suas, et dealbarunt stolas suas in sanguine Agni, per fidem veram ac vivam remissionem peccatorum &*  
jus



&c. **Explicat. Apoc. VII. 9. 10. 11. &c. 73**

ius petendi atque expectandi æternam hæreditatem in obedientia Christi perfecta ac sanguinolenta quæſiverunt.

§. 7. *Propterea sunt coram throno Dei, et serviunt ei die et nocte in Templo suo, in Ecclesia sua, et, qui sedet in Throno, habitabit super eis.*

§. 8. *Non esurient amplius, neque sitient amplius, Doctrina Verbi Dei, qua homo exſatiatur, & nutritur ad vitam æternam, quæque ipsum consolatur & recreat, & lætitia bonæ conscientie implet, abundabit inter ipsos, neque cadet super eos Sol, neque ullus æstus, adulterinus ille Sol, cui illuminandi virtutem maximam attribuit cæca Babylon, non amplius punget eos persecutionibus suis, neque alii æstu afflictionum illos amplius torquebunt.*

§. 9. *Quia Agnus, qui est in medio Throni, pascet eos, veluti Pastor oves suas, virga roboris sua sive Evangelio gratiæ, justitiæ ac regni, et ducet eos ad vivos fontes aquarum, mysterium Testamenti ac Foederis Dei vere lætificans & refocillans tristem ac famelicam, & sitibundam miseri peccatoris animam plenissime ipsis exhibebit, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis*

74 Explicat. Apoc. VII. 9. 10. 11. &.

*lis eorum*, faciet, ut non amplius necesse habeant calamitates ab hostibus veritatis illatas & cædes fidelium devastationesque terrarum amaris lachrymis deplorare.

§. 10. Ne jam mireris Lector nos hanc prophetiam ad Ecclesiæ adhuc in terris constitutæ statum referre. Facimus id præeuntibus Scripturis. Nam Prophetiæ, de quibus hæc prophetia desumpta est, manifesto ad hanc vitam pertinent. Videamus id.

§. 11. Quæ commate postremo versus 15. dicuntur, extant Ezech. XXXVII. 26. 27. 28. *Et pangam ipsis foedus pacis; foedus seculi erit cum ipsis, & dabo ipsos, & multiplicabo eos, & dabo sanctuarium meum in medio eorum in seculum. Et erit habitatio mea super ipsis, & ero ipsis Deus, & illi erunt mihi populus. & cognoscent gentes, quod ego Iehovah sanctificem Israël, cum erit sanctuarium meum in medio eorum in seculum.*

§. 12. Hanc autem promissionem in hoc seculo impletum iri, manifestum est: quippe de Judæis agitur ultimo tempore convertendis ad Davidem, Regem suum, hoc est, Christum, filium Davidis, secundum carnem, ut cum Christo, per rectam fidem in ipsam



&  
necesse  
tis il-  
que ter-  
os hanc  
ris con-  
præun-  
de qui-  
anifesto  
id.  
fus 19.  
6. 27.  
edu se-  
multi-  
mem in  
abitato  
& illi  
genet,  
m, cum  
in in se-  
in hoc  
e, quip-  
conver-  
hoc est,  
um car-  
idem in  
ipsum

Explicat. Apoc. VII. 9. 10. 11. & .75

ipsum, sive per sinceram confessionem at-  
que amorem justitiæ ipsius, regnent in secū-  
lum, versibus 24. 25. & Christus, Sancti-  
ficator illorum, per Spiritum suum & evi-  
dentem manifestationem divitiarum gratiæ  
suae, cumque gloria ingenti, in medio illo-  
rum habitet.

§. 13. Quod inæstimabile beneficium  
temporis omnibus gentibus cum Judæis  
commune erit.

§. 14. Similiter, quæ versu 16. & par-  
te versus 17. pro mittuntur Esai. XLIX. 10.  
leguntur. *Non esurient, & non sitient, &  
non percutiet eos aestus & Sol. Nam misera-  
tor illorum ducet eos, & ad scatebras aqua-  
rumaget eos.*

§. 15. Hanc vero prophetiam rursus ad  
hanc vitam pertinere, apertum est ex ver-  
sibus proxime sequentibus 11. 12. 13. *Et  
ponam omnes montes meos in viam, & ag-  
geres mei efferentur. Ecce hi a longinquo, ab  
Oriente, venient, & ecce hi a Borea, & a  
Mari, ab Occidente, & hi a terra Sina-  
orum, ab Austro. Cantate coeli, & gande  
terra, & fragorem edite montes cantu, quia  
conso-*

76 Explicat. Apoc. VII. 9. 10. 11. &

*consolatus est Dominus populum suum, & in-  
opes suos miseratur.*

§. 16. Quæ tum perfecte implebuntur, quum omnia Regna mundi fient Domini nostri & Christi ejus, ut regnet in secula seculorum. Apoc. XI. 15. siue quum omnes gentes, quas fecit Jehovah, accedent, & adorabunt coram ipso, & gloriam dabunt nomini ipsius. Psalm. LXXXVI. 9. Apoc. XV. 4. quumque Dominus hostes Ecclesiæ visitabit, profligabitque ac perdet omnem memoriam ipsius. Esai. XXVI. 14.

§. 17. Adde ceteros versus hujus capituli, tum videbis, de Regno Christi in hac terra toto capite agi.

§. 18. Præterea, quod versu 17. promittitur de ducenda Ecclesia ultimi temporis ad vivos fontes aquarum, id Esai. XII. 3. toti Ecclesiæ N. T. in hac terra constitutæ promittitur. *Et haurietis aquas in hilaritate ex rivis salvis.* Item Israëlitis, ex terra Aquilonari reversis. Jer. XXXI. 9. *Faciam eos ut accedant ad torrentes aquarum, in via recta, in qua non offendent;* nempe per Christum, in carne manifestatum, peccatum expiantem, & justitiam æternam afferentem. Confer quoque Joh. VII. 38.

§. 19.



Explicat. Apoc. VII. 9. 10. 11. & 77

§. 19. Cum igitur hæ & similes prophetiæ in Ecclesia N. T. impleantur, antequam Regnum promissum accipiat, quare non censeremus, eas longe perfectiori modo in illa adhuc impletum iri, cum omnes gentes potentia & verbo Christi sibi subjectas videbit?

§. 20. Quæ denique ultimo commate versus de absterfione lachrymarum ab omni facie Spiritus prædicit, Esai, XXV. 8. reperuntur. *Abolevit Mortem, Auctorem mortis secundæ, hoc est, Antichristum, etiam atque etiam, et absterget Dominus Deus lachrymas ab omni facie et opprobrium populi sui removebit a tota terra, quia Dominus locutus est.*

§. 21. Palam est absterfionem lachrymarum ab omni facie esse beneficium hujus vitæ, quia connectitur cum remotione opprobrii populi Dei a tota terra: quæ nihil aliud est, quam plena justificatio causæ universæ Ecclesiæ per liberationem ejus perfectam ab omnibus hostibus.

§. 22. Deinde ex antecedentibus versibus 6. & 7. evidenter patet, absterfionem lachrymarum ab omni facie ad statum hujus vitæ

tæ

78 Explicat. Apoc. VII. 9. 10. 11. &

tæ pertinere. Nam mutatio convivii opimitatum in convivium fecum, convivii opimitatum medullatarum in convivium fecum percolatarum, hoc est, ablatio pacis & abundantiae omnium rerum & commodæ occasionis audiendi Verbum Dei, vel commutatio prosperitatis cum adversis, quæ omnibus populis in MONTE HOC, in magno hoc Imperio ( Apoc. XVI. 19. XVIII. 11. Dan. VII. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. ) obringer, & abolitio faciei tegminis impositi omnibus populis & velaminis injecti cunctis gentibus, hoc est, deletio Hierarchiæ & iniquæ potestatis in conscientias, qua homines impediuntur, ne lucem veritatis salutaris videant, & Christum Sacerdotem ac Regem Ecclesiæ ad dextram Dei in coelo sedentem sincera fide respiciant, futura in MONTE HOC, notant præparationem Regni, quod habebit Ecclesia in toto mundo.

§. 23. Unde clarum est, non posse versu 8. de statu Ecclesiæ in futura vita agi. Præterea ex sequentibus eadem interpretatio elicitur. Nam versu 9. Ecclesia gloriatur ælætatur assertione ac salvatione sibi jam a Domino præstita in hoc seculo, dum ait: Ecce Deus noster, quem expectamus, & qui



# Explicatio phialæ

septimæ

Apoc. XVI. 17. 18.

19. 20. 21.

per modum Orationis  
sacræ.

I.

**V**alde notabilis est illa Ezechielis  
Prophetia de ultimis temporibus N. T.

*Et erit in die illo, die, quo veniet Gog contra terram Israelis (dictum domini Dei) ascendet ardor meus in nasum meum: Et in zelo meo, in igne excandescencia mea loquar, si non in illo die erit terra motus magnus in terra Israel Et commovebuntur à facie mea pisces maris volucres cæli, & fera agri, & omne reptile, quod se movet super terra, & omnis homo, qui est in superficie terra, & destruentur montes & cadent fastigia, & omnis murus in terram cadet. Et vocabo contra ipsum*

H

sum

*sum in omnes montes meos gladium, dictum Domini Dei. Gladius viri in fratrem suum erit. Et disceptabo cum ipso peste, & sanguine, & imbre exundante, & lapidibus grandinis. Ignem & sulphur pluam in ipsum, & in alas ejus, & in populos multos, qui sunt cum ipso. Et magnificabo me, sanctificabo me, & cognoscendum me præbebo ante oculos gentium multarum, & cognoscent, quod ego sim Iehovah, Cap. XXXVIII. 18. 19. 20. 21. 22. 23. Repetitur illa Prophetia ex parte Apoc: XX.*

§. 2. Per Gogum ipsum intelligimus Antichristum, per Magogum vero omnes populos, qui se Antichristo, tanquam Capiti Ecclesiæ, in rebus fidei subijciunt.

§. 3. Antichristus ipse Gog appellatur, hoc est, is qui tegit, quia falsa doctrina sua mysterium fidei ita obtegit & abscondit, ut ab hominibus non possit videri aut cognosci.

§. 4. Quod ad populos attinet, qui Antichristum pro Capite Ecclesiæ habent, ipsusque dictata, veluti Regulam credendorum faciendorumque, amplectuntur, illi Magog vocantur, hoc est, tecti, quoniam  
oculi



oculi ipsorum ab Antichristo obteguntur & excœcantur, ne justitiam ac Regnum Christi videant.

§. 5. Atque hanc quidem significationem Hebræarum vocum, Gog & Magog, confirmat Jesaias, cum de interitu Antichristi hunc in modum vaticinatur. *Et abolevit in hoc Monte, in hoc magno Imperio, faciem veli injecti omnibus populis, & faciem tegminis, quo omnes gentes obteguntur. Abolevit Mortem auctorem mortis secundæ, (Apoc. Apoc. VI. & XX.) etiam atque etiam, & absterget omnem lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui faciet recedere ab omni terra: quia Iehovah locutus est, Cap. XXV. 7. 8.*

§. 6. Videamus nunc. quid Ezechiel verbis citatis de Gog & Magog vaticinetur. Summa ejus hæc est: Gog & Magog ultimis præcipue temporibus N. T. Veram Ecclesiam maxima cum sævitia ac furore invadent & persequentur. Inde inauditum bellum orietur, quo Gogi filii, seposita omni cognationis & unitatis Religionis consideratione, magis quam antea, mutuis cædibus sese debilitabunt. Tandem Deus Gogum ac Magogum, postquam per eos judi-

cia sua in filios inobedientes & hypocritas consummaverit, horrendis atque insolitis modis puniet, ad glorificationem & sanctificationem nominis sui coram universo mundo.

§. 7. Convenit cum hac prophetia Ezechielis phiala septima, cujus effectus est bellum inauditum, latissime grassans, quo gentium turba trituratur. Ecclesia ingrata terribiles persecutiones patitur, Babylon vero, ubi Gogi & Magogi idolatria atque superstitio viget, horribili judicio deletur.

§. 8. Quæ cuncta clare videbimus ex phialæ septimæ explicatione, quam nunc in nomine Dei ordimur.

§. 9. Septem phialæ, de quibus Johannes cap. XVI. septem notant ingentes plagas, quibus mundus in N. T. septem distinctis temporibus à valde irato Deo afficiendus erat. Unde v. 1. phialæ excandescentiæ Dei appellantur.

§. 10. Atque hæ septem phialæ mandato Christi à septem Angelis effunduntur, quorum ministerio uti Deus solet in exequentis judiciis suis.

§. II.



§. 11. Est vero bene notandum, phialam septimam omnium maximam atque inauditam plagam, per totum fere mundum grassantem, portendere. Quod quidem ex effectis illius patebit.

§. 12. *Et septimus Angelus, inquit Johannes, effudit phialam suam in aërem*: Effusione phialæ septimæ in aërem tria videntur indicari. 1. sub phiala septima plurima eaque maxima damna ex aëria regione mundo illatum iri. Vide versus 18. & 21. 2. plagam septimam fore communem atque universalem. 3. eam mundum celeriter pervasuram.

§. 13. Quæ statim sequuntur verba: *Et exivit vox magna ex templo ex cælo à throno, dicens: Factum est*, iis sine dubio significatur, initium plagæ septimæ esse veluti vocem Christi, Regis quæ fidelibus indicet, jamjam adventasse tempus secundi, hoc est pleni casus Babylonis. Significatur, inquam, tempore effusionis phialæ septimæ consummatum iri mysterium Dei, quemadmodum nunciavit servis suis Prophetis Apoc. X.

§. 14. Pergit Johannes: *Et facta sunt voces,*  
 H 3

*ces, & tonitrua, & fulgura: & terra motus factus est magnus, qualis non est factus, ex quo homines exstiterunt in terra, tantus terræ motus, ita magnus.*

§. 15. Per *voces* intelligimus sermones ac scripta doctorum piorumque virorum, quibus maximas calamitates & certamina Ecclesiæ Dei adhuc exantlanda, Regnique Antichristi subversionem imminentem ex Prophetiis denunciant. Confer tubam septimam Apoc. XI.

§. 16. Tonitrua & fulgura hic proprie fumimus; putamusque, Deum & illis sub phiala septima impium & ingratum mundum horribilem in modum puniturum Confer rursus tubam septimam Apoc. XI.

§. 17. Per terræ motum hic primo intelligimus insolitam terræ imperio divinæ voluntatis concussionem, qua sub phiala septima mundus partim subvertetur, partim territabitur. secundo, ac quidem præcipue intelligimus hic per terræ motum tantam commotionem populorum & regnorum per bellum sub phiala septima, quanta non contigit, ex quo homines extiterunt in terra. Confer sigillum sextum Apoc. VI. & adhuc semel phialam septimam Apoc. XI.

§. 18



§. 18. Nunc Johannes effectus describit  
 tanti terræ motus, dum ait: *Et facta est Ci-  
 vitas magna in tres partes; & civitates gen-  
 tium conciderunt, & Babylonis illius magna  
 mentio facta est coram Deo, ad dandum ei  
 poculum vini excandescentiæ iræ ipsius, Et  
 omnis insula fugit, & montes non sunt in-  
 venti.*

§. 19. Civitas magna notat magnum Im-  
 perium, de quo Dan. VII. & Apoc. XVII.  
 Hoc magnum Imperium fit in tres partes cum  
 in trium potestatem devenit. Forte etiam  
 alio modo in tres partes fit hoc magnum  
 Imperium. Nam Prophetiæ non possunt  
 ante complementa sua accurate exponi.

§. 20. Civitates gentium non modo sig-  
 nificant civitates hominum, qui Evangeli-  
 um justitiæ ac Regni non recipiunt, verum  
 etiam illorum, qui quidem Evangelium am-  
 plectuntur, sed cum eo characterem sive le-  
 gem bestię. Immo civitates gentium signifi-  
 cant hic etiam civitates eorum, qui quidem  
 Dei singulari gratia Evangelium integrum  
 habent ac purum, sed illud non recte intel-  
 ligunt, neque digne illo ambulant in justi-  
 tia ac sanctitate veritatis. Atque istæ civi-  
 tates gentium cadunt, cum destruantur.

§. 21. Devenimus ad Babylonem magnam. Ea regnum Antichristi latissime patens una cum Metropoli ejus nobis exhibet. Quod quidem nemini mirum videri debet. Nam ut in veteri Babylone, sic in universo quoque regno Antichristi, præcipue in Metropoli illius, Religio dominium patitur. idolatria ac superstitio viget, Ecclesia denique olim captiva detenta fuit. Mentio vero fit Babylonis illius magnæ mysticæ coram Deo ad dandum ei poculum vini excandescentiæ iræ ipsius, cum instar lapidis molaris magni uno impetu in mare conjicitur, ut non inveniatur amplius, Apoc. XVIII. Quod futurum videtur post consummatam dissipationem populi sancti. Dan. XII.

§. 22. Insulas hic possumus proprie intelligere. Tumque Insulæ fugere censendæ sunt, cum vel à mari absorbentur, vel bello ab aliis occupantur.

§. 23. Quod ad montes attinet, per eos regna mundi intelligimus. Quæ non inveniuntur, postquam vel destructa sunt, vel in alium statum devenerunt,

§. 24. Cum his accurate convenit quod legimus Apoc. VI. *Omnes montes & insule ex loco suo motæ sunt.*



§. 25. Unde patet, ante consummationem seculi mundum maximam adhuc subiturum mutationem. Quo vero modo hoc futurum sit, definiri à nobis haud potest.

§. 26. Id saltem hic observamus, longe ante Johannem etiam Jesaiam capite secundo à versu decimo usque ad finem de mirabili ista, rerum mutatione luculenter vaticinatum esse, hisce verbis: *Intra in rupem, & occulta te in pulvere, propter pavorem Iehova, & ob Majestatem elationis ejus. Oculi alti hominum humiliantur, & deprimuntur excellentia virorum, sublimabitur Iehova solus in die illo. Nam dies est Iehova Deo exercituum in omne erectum, & supereminens, & in omne elatum, & humile. Et in omnes cedros Libani super extantes & elatas, & in omnes quercus Basan. Et in omnes montes proceros, & in omnes colles elatos, Et in omnem turrim altam, & in omnem murum præruptum. Et in omnes naves Oceani, & in omnes imagines amabiles. Et deprimetur altitudo hominum, & humiliabitur proceritas virorum, & sublimabitur Iehova solus in die illo. Et Dii nibili universim abibunt. Et intrabunt antra petrarum, & cavernas pulveris, propter formidinem Iehova, & ob majestatem erectionis ejus, cum surget ad consternandam*

nandam terram. Illo die projiciet homo Deos nihili argenteos suos, & Deos nihili aureos suos, quos fecerant ipsi ad adorandum, ad talpas & vesperiliones. Ut iniret in foramina rupium, in fastigia petrarum, propter fornicidinem Ichovæ, & ob Majestatem elationis ejus, cum surget ad consternandam terram. Desistite vobis ab homine, in cujus naso est anima: nam in quo reputatur ille?

§. 27. Restat; ut ultimum versum loci nostri adhuc explicemus. Is ita sonat: *Et grando magna, veluti talenti pondere, descendebat ex cælo in homines, & blasphemarunt homines Deum, ob plagam grandinis. Nam magna erat plaga ejus admodum.*

§. 28. Grandinem primo proprie sumimus. existimantes, Deum sub phiala septima mundum etiam gravissimis atrocissimisque procellis grandinantibus afflicturum. Deinde per grandinem figurate intelligimus ea, quæ grandinis instar omnia disjiciunt ac prosternunt: qualia multa providentia irati Dei ab hominibus excogitantur, inque pœnam improborum ac hypocritarum bellis hodiernis usurpantur.

§. 29. Notandum hic de eadem plaga grandinis



grandinis maxima etiam Apoc. XI. in tuba septima mentionem fieri.

§. 30. Et vero jam ante Johannem Je-  
faias de terribili plaga grandinis ultimo tem-  
pore N. T. per mundum grassatura, vati-  
cinatus est cap. XXX. *Et faciet Iehova au-  
diri majestatem vocis sue, & descensum bra-  
chii sui demonstrabit, astu ira & flamma ig-  
nis consumentis, & dissipatione, & inunda-  
tione, & lapide grandinis* Rursum cap.  
XXXII. *Grandinabit, quum cadet Sylva,  
Hierachia, & in humillimo humiliabitur Urbs-  
sive Babylon.*

§. 31. Et si autem ista plaga grandinis  
magnitudine & acerbitate sua omnes homines,  
qui eam patientur, ad iræ divinæ adversus  
peccata dominantia agnitionem, ac proin-  
ad resipiscentiam sinceram ducere debebat,  
tamen plurimis occasio erit blasphemias in  
justissimum Deum evomendi, ipsique perti-  
nacios obnitendi.

§. 35. *Hic ergo patientia sanctorum est.  
Hic qui servant præcepta Dei & fidem Iesu,  
Apoc. XIV.*

§. 33. Atque hæc est brevis explicatio lo-  
ci nostri: ex qua didicimus, ante tempora  
refrigerii

refrigerij terribilem plagam mundo, præcipue vero Babylo ni magnæ, adhuc exantlandam esse.

§. 34. Ne igitur & nos una cum Baby lone magna plaga illa afficiamur, oportet ut Deo obtemperemus, ad nos dicenti: *Exite ex Babylone magna popule mi; ne communitis cum peccatis ejus, & ne accipiatis de plagis ejus.*

§. 35. Sunt autem peccata Babylo nis magnæ neglectus Scripturæ, justitiæ & Regni Dei, idololotria, Superstitio, cupiditas carnis, libido oculorum, fastus vitæ, vexatio membrorum Christi &c.

§. 36. Illa peccata Babylo nis magnæ si nos, qui à professione Euangelii æterni nomen Euangelicorum habemus, imitari non desinamus, sine dubio in patria nostra implebuntur, quæ Jesaias de illa vaticinatur: *Conquassando conquassatur terra, lacerando laceratur terra, nutando nutat terra, tanquam ebrius, & transfertur, tanquam iugurium, & gravis super illa defectio ipsius, & Cadit, & non addet stare, cap. XXIV. 19. 20.*

§. 37. Pertinet quoque ad peccata Babylo nis



lonis magnæ fiducia in brachio carnali tempore angustię.

§. 38. Hac vana fiducia si & nos occupari corda nostra sinamus, quum divinis virgis propter petulantiam ac lasciviam nostram cædimur, adeo ut etiam ad populos apertæ idololatrię ac superstitioni deditos, atque ita sub maledictione positos auxilii gratia confugiamus, revera verum in nobis evadet, quod idem Jesaias certis de hominibus, in afflictione **MAGNA** constitutis, & propterea apud Aegyptum spiritualem opem anxie quærentibus, tristi voce canit: *Va descendentibus in Aegyptum (Mythicam) ad auxilium, quique in equis nituntur, & confidunt curribus, quia multi sunt, & in equitibus, quia numerosi admodum sunt: & non respiciunt ad sanctum Israelis, & Dominum non curant (vel consuluerunt) Atque etiam ipse sapiens est, & stabit contra Domum maleficorum, & contra auxilium operantium iniquitatem. Atque Aegyptus est homo, & non Deus & Dominus extendet manum suam, & offendet auxilians, & cadet adjutus, & una uterque conficientur.* cap. XXXI.

§. 39. Ubi quod bene notandum, Prophetæ simul gravissimam causam addit; quate,

re, quum afflictionibus temporalibus castigamur à Deo Patre nostro, non in Spirituali Aegypto, sed in sola gratia & potentia divina fiduciam ponere debeamus, dum ait: *Quemadmodum insonat leo & juvenis leo super prada sua, contra quem convocatur plenitudo pastorum, a voce illorum non consternatur, & propter multitudinem illorum non submittit se: sic descendet Dominus Deus exercituum, ad belligerandum pro monte Sion, & colle ejus, instar avicularum volantium sic proteget Deus exercituum Hierosolymam tegendo, & eripiendo, gradum faciendo, & evadere faciendo.*

§. 40. Quanquam vero terribiles plagæ nobis adhuc imminet, uti videmus, certum tamen est, nos iis non oppressum iri Deus enim nobis potenter adsistet, omni humano auxilio desperato, nosque glorioso modo liberatum ibit.

§. 41. Id Moses promittit cap. XXXII. *Cantate gentes populus ejus: quia sanguinem servorum vindicat, & vindictam reddit hostibus suis.*

§. 42. Post Mosen Daniel plenam liberationem ex postrema afflictione nobis pollicetur



cetur cap. XII. *Et tempore illo stabit Michael, ( id est, Christus ) princeps ille magnus, qui stat pro filiis populi tui: & erit tempus angustia, qualis non extuit, ex quo fuit gens usque ad tempus illud; & tempore illo evadet populus Tuus omnis inventus scriptus in libro.*

§. 43. Post Danielelem Zacharias Cap. X. *Et transibit per mare, per mundum infrugiferum, afflictio: & percutiet in mari fluctus, celsa mundi dejiciet, & exarescent omnes profunditates Amnis ( Nili ) hoc est, universa potentia Aegypti Spiritualis evanescet, & dejicietur erectio Assyria, vel Turcarum, Assyriæ Dominorum, & sceptrum Aegypti recedet. Nam, ut Iesaias ait cap. XIX, servient Aegyptii Assiriis, Turcis. At faciam illos, ut vincant, in Jehovah, etc.*

§. 44. Post Zachariam denique Johannes Apoc. III. *Quia servasti sermonem patientia, etiam ego te servabo ex hora tentationis, que venit in totam Habitabilem, ad tentandum eos, qui habitant in terra.*

§. 45 Unde quilibet nostrum, si modo ad Regnum Christi pertineamus; jure exclamare potest ex Michææ cap. VII. *Certe ego in Iehova ( vel obitum in Iehova-fixo )*  
specu-

*speculor; expecto Deum salutis meum. Audiet me Deus meus. Ne lateris inimica mea de me Quum cado surgo, quum sedeo in tenebris Iehova est lux mihi Terrorem Iehova feram, quia peccavi ipsi donec disceptaverit litem meam, & fecerit iudicium meum, educat me in lucem, videam iustitiam ejus. Et videbit inimica mea, & operiet eam pudor, quæ dicit ad me; Ubi Iehova Deus tuus est? Oculi mei, spectabunt illam. Nunc erit in conspersionem ut lutum platearum.*

§. 46. Quoniam igitur tam fundatam spem habemus liberationis ab ultima plaga, ideo eam præsentem cum patientia ferre debemus semper memores istius moniti Jesaiæ ad homines ultimi temporis N. T. omnino directi: *Abi popule mi, intra in penetralia tua, & clande januas tuas pone te: delutesce parvo momento, donec transeat excandescencia. Nam ecce Iehovah exit ex loco suo ad visitandam pravitatem habitantis terram super ipso, & reteget terra sanguines suos, & non teget adhuc casos suos, cap. XXVI.*

§. 47. Debemus, inquam, postremam afflictionem præsentem alacriter tolerare; quippe lucrum erit Ecclesiæ. Siquidem per eam i. levis palea à tritico separabitur.



2. adoratoribus Bestiæ & imaginis ejus, Turcis, Judæis & via ad justitiam ac Regnum Christi præparabitur.

§. 48. Ante omnia vero cavere debemus, ne ob magnitudinem atque atrocitatem ultimæ plagæ Deum, ejusque justitiam ac judicium cum improbis blasphememus.

§. 49. Tandem postrema afflictione mundum pervadente, hostibusque Ecclesiæ, justissimi Dei permissione, inaudito modo in fideles sævientibus, seriis precibus atque indefessa scripturarum meditatione nos adversus defectionem ab agnita veritate munire debemus.

§. 50. Ad quod ipse Christus non obscure nos adhortatur, cum Apo: XVI. ait. *Ecce venio, ut fur. Beatus, qui vigilat, & servat vestes suas, ne nudus appareat, & videant turpitudinem ejus.*

F I N I S.





V.

Explicatio

Jes. II. vers 3.

per modum Orationis  
Sacrae.

V.

Explicatio  
Ioh. II. vers. 8.  
per modum Oratoris  
Sart.

V  
rno e  
tribus  
dum :  
si salu  
§:  
contine  
similit  
subject  
orum  
ster ,  
ad Deu  
§: 3  
Non sa  
Itraclis



# Eplicatio.

Jes. II. vers 3.

per modum Orationis  
Sacrae.

§. 1.

**V**alde notabilia sunt verba, quæ  
Deus Pater ad Christum dicit: *Pa-  
rum est, prout sis mihi servus ad erigendum  
tribus Iacobi, & relictos Israëlis reducen-  
dum: sed posui te in LUCEM gentium, ut  
sit salus mea usque ad fines terre, Jes. XLIX.*

§. 2. Hisce verbis Dei Patris primum  
continetur, quod Deus Pater Christum in  
similitudine carnis peccati missurus, legique  
subjecturus sit, ut electos Israëlis a Pharisæ-  
orum Scribarumque seductione liberos præ-  
stet, eosque doctrina sua & virtute divina  
ad Deum & *veram* justitiam convertat.

§. 3. Idem Christus indicat ipse, cum ait:  
*Non sum missus, nisi ad perditas oves domus  
Israëlis, Matth. IX.*

I 3

§. 4.

§. 4. Deinde, citatis Dei Patris verbis docetur, quod Christus temporibus ignorantiae finem imponere, & gentes per Evangelium ac Spiritum suum ad cognitionem mysterii fidei & *viarum* Dei efficaciter illuminare debeat.

§. 5. Denique, modo memoratis Dei Patris verbis significatur, Christum eo fine gentium fore *illuminatorem*, ut salus Dei ad omnes terras atque Regna perveniat; sicque tandem aliquando verissime exclamari possit: *Iehova, Domine noster, quam magnificentum est nomen tuum in universa terra!* Psalm. VIII. Et rursus. *Facta sunt Regna mundi Domini nostri, & Christi ejus; & regnabit in secula seculorum.*

§. 6. Hic sensus est illustris Prophetiae Dei Patris de illuminatione gentium per Christum. Complementum vero illius prophetiae videmus in Textu nostro. In eo namque gentes, per Christum *jam illuminate*, alias gentes, *nondum illuminate* ita compellant: *Venite, adscendamus in Montem Domini, in Domum Dei Iacobi, ut doceat nos de viis suis, & ambulemus in itineribus ejus.* Ad quorum verborum brevem explanationem nos nunc accingimus.



Explicatio Jes. II. 3. 135

§. 7. Ut vero decenti ordine procedamus, primum quidem ipsum gentium ascendere in Montem Domini, in Domum Dei Jacobi; deinde duplicem scopum ascensionis gentium in Montem Domini, in Domum Dei Jacobi declarabimus.

§. 8. Quod ipsam gentium ascensionem in Montem Domini, in Domum Dei Jacobi attinet, illa hisce Jesaiæ verbis continetur: *Venite, ascendamus in Montem Domini, in Domum Dei Jacobi.*

§. 9. Per *Montem Domini* Jesaias intelligit Montem Morijam. Illum, autem appellat Montem Domini primo quia Dominus in eo Domum habebat, in quo ipsi fideles Israëlitæ serviebant: secundo quia Dominus ibi in carne compariturus, & justitiam in coetu magno annunciaturus erat. quo ipso Mons Morija supra omnes montes, & supra omnes colles efferri debebat. Jes. II.

§. 10. Per *Domum Dei Jacobi* Jesaias Templum indigitat. Sed bene hic notandum, quo sensu Jesaias Templum Dei Jacobi, h. e. Redemptoris ac Salvatoris Jacobi, Domum nominet, ne sinistram de Deo opinionem foveamus.

§. 11. Templum Solomonis Dei in Scriptura appellatur Domus, quia Deus in eo habitabat, sive externum præsentiæ suæ symbolum habebat, nempe nubem, super propitiatorio Arcæ inter Cherubinos collocatam. Quo habitatio Dei in Filio suo, incarnato, præfigurabatur. De qua Paulus aperte Coloss. II. *In Christo tota habitat plenitudo Deitatis σωματικῶς corporaliter*, h. e. vere cum Deus contra per modum umbræ in Solomonis Templo habitaret.

§. 12. Dico, quod Deus per modum umbræ in Templo Solomonis habitaverit. Fieri enim non potest, ut Deus vere habitet in Templis manu factis. Id Stephanus satis docet Act. VII. & ante eum ipsemet Deus, cum ad insipientes ac superstitiosos Judæos ait: *Cælum est thronus meus, terraque scabellum pedum meorum. Quam igitur domum ædificabitis mihi; aut quis est locus quietis mea?* Jes. LXVI.

§. 13. Ita vidimus, quo sensu Templum Solomonis Dei Domus in Scriptura appellatur.

§. 14. Est autem evidentissimum, templum Zorobabelis, ad quod Jesaias in Textu

tu



Explicatio Jef. II. 3. 135

tu nostro respicit, non posse consimili sensu Domum Dei appellari. Siquidem ejus Sanctuarium intimum Arca Foederis destituebatur, super cujus aureo operculo Deus in nube inter Cherubinos habitare potuisset.

§. 15. De eo testatur Ieremias verbis Dei cap. III. *Es fiet, cum multiplicabimini, & fructificabitis in terra, in diebus illis, ait Iehova, non dicent amplius, Arca Foederis Iehova, & non veniet in mentem, neque recordabuntur ejus, & non adibunt, & non fiet ex illo. In tempore illo vocabunt Hierosolymam Solium Iehova.* Nempe quia Filius Dei, in quo Deus verissime gloriosissimo modo habitat inter homines, illo tempore Hierosolymis Rex fieri debebat, Ies. LII.

§. 16. Quonam sensu igitur Templum Zorobabelis, quod hic Iesaiam intelligere modo diximus, Domus Dei Iacobi appellatur? Respondemus. Appellatur Domus Dei Iacobi, quatenus Deus Iacobi, sive Sanctificator & Iustificator ejus. h. e. Christus. apud illud in carne manifestandus erat. Id quod Malachias expresse promittit cap. III. *Ecce ego mitto Angelum meum, ut vacuam faciat viam ante me; & derepente veniet ad Templum suum.* (quod non aliud esse potest,

quam Zorobabelis) Dominus ille, quem vos  
 queritis, & Angelus ille Fœderis, quo vos  
 delectamini. Ecce venit, dixit Iehova Deus  
 exercituum. Quo ipso Templi posterioris  
 gloria gloriam prioris multum superare de-  
 bebat. Quod ipse Deus diserte docet, his  
 verbis: *Commovebo omnes gentes, & acce-*  
*dent Desiderium omnium gentium, et implebo*  
**DOMUM HANC** gloria, ait Iehova  
 Deus exercituum. *Major fiet gloria DO-*  
**MUS HUIUS POSTERIORIS,**  
*quam PRIORIS, ait Iehova Deus ex-*  
*ercituum; et in loco hoc dabo pacem, ait Ie-*  
*hova Deus exercituum, Hagg. II.*

§. 17. Nunc quoque paucis explicabi-  
 mus, quo sensu gentes sub N. T. in Mon-  
 tem Domini, in Domum Dei Jacobi fue-  
 rint adensuræ.

§. 18. Nemo hic putet, quod gentes mo-  
 do corporali in Montem Domini, in Domum  
 Dei Jacobi adscendere debuerint. Minime. Eo  
 namque sine Zorobabelis Templum Dei pro-  
 videntia destructum est, ut sub N. T. cultus  
 carnalis penitus cessaret, & nomini Domini  
*in omni loco hostia ac munus purum offerretur,*  
 Mal. I.



19. Oportet igitur Iesaiæ prophetiam de adscensione gentium in montem Domini, in Domum Dei Iacobi Spiritualiter intelligi. Nempe quod gentes sub N. T. Christum, qui Hierosolymæ in medio Iudæorum ambulavit, veluti Arcem Dei, & Rupem salutis apprehensuræ, & redemptionem, Hierosolymis præstitam, sibi applicaturæ, justitiamque, ibi paratam, accepturæ, & communionem sanctorum, qui Hierosolymis, præsertim in Templo, Deo studiose servaverunt quæsituræ sint.

§. 20. Hoc Iesaias appellat in Montem Domini, in Domum Dei Iacobi adscendere. Ita ut gentes, invicem adhortantes: *Venite, adscendamus in Montem Domini, in Domum Dei Iacobi*: nihil aliud velint, quam hoc; Venite, accedamus ad Christum, qui nos Hierosolymis Deo reconciliavit, ibique gratiam Dei nobis conciliavit, dum morte sua sanguinolenta peccata nostra perfecte expiavit, omnemque justitiam loco nostro implevit, & ad eum confugiamus, ut per ipsum remissionem peccatorum, & jus ad vitam æternam adipiscamur; atque ita *coheredes siamus & concorpores, consortesque promissionis Dei in Christo per Evangelium*, Eph. III.

§. 21. Atque hæ gentium adhortationes conjunctæ apertam inpletionem exhibentistius vaticinii Christi: *Ubi CADAVER est, illuc congregabuntur AQUILÆ*, Matth. XXIV. h. e. gentes, divina potentia illuminatæ, gregatim ad Christum, Hierosolymis secundum carnem occisum, venient, sive ejus salutarem communionem per fidem quærent.

§. 22. Immo mutæ hæ gentium admonitiones vocem exprimunt turturis, de qua Cant. II. *Surge tibi, Amica mea Formosa mea, & abi tibi. Nam ecce hyems transiit, imber præterit, abiit. Flores visi sunt in terra; tempus cantillationis advenit, & VOX TURTURIS audita est in terra nostra. Ficus condidit grossos suos, & vitis prima uva spiravit odorem. Surge, Amica mea Pulchra mea, & abi.* Quibus elegantissimis hieroglyphicis Christus fideles Judæos hortatur ad exeundum Hierosolymis, & factam amicitiam cum gentibus in posterum colendam: idque eo argumento, quod tempus iræ sive indurationis atque excœcationis & sterilitatis gentium jam præterierit, dum gentes in Christum Salvatorem credant, eumque tum confessione tum operibus celebrent, & populares



pulares suos ad idem faciendum acriter instigent.

§. 23. Unum adhuc observandum circa explicationem horum verborum: *Venite, adscendamus in Montem Domini, in Domum Dei Jacobi.* Nimirum quod gentes sub N. T. non semel, sed sæpius, diversis temporibus, invicem exhortaturæ sint ad adscendendum in montem Domini, in Domum Dei Jacobi. Donec tandem omnes gentes quotannis Hierosolymam veniant ad adorandum Regem Iehovam Deum exercituum; & ad celebrandum Festum Tabernaculorum, quomodo Zacharias de ultimis N. T. temporibus vaticinatur cap. XIV.

§. 24. Sic itaque ipsum gentium adscendere in Montem Domini Domum Dei Jacobi convenienter Scripturis explicavimus.

§. 25. Ordo nunc postulat, ut etiam *duplicem scopum* adscensionis gentium in Montem Domini, in Domum Dei Jacobi exponamus.

§. 26. *Primum* Jesaias hisce verbis proponit: *Ut doceat nos de viis suis.*

§. 27. Per *vias Dei* in Scripturis primo intelliguntur *æterna consilia Dei*, ad finem, Deo gloriosum, tendentia. Inter quæ consilia eminent consilium pacis inter Patrem ac Filium.

§. 28. Secundo per *vias Dei* in Scripturis intelliguntur *opera Dei*, quibus Deus scopum, sibi præfixum, certo assequitur. Quorum operum præcipuum est redemptio, sanctificatio, justificatio, atque adeo perfecta salvatio miseri peccatoris in Christo.

§. 29. Cum igitur gentes *vias Dei* a Deo doceri cupiunt, nihil aliud desiderant, quam ut Deus ipsis legem, quæ Sionæ, & verbum suum, quod Hierosolyma exiit, imperiat, ipsisque in eo consilia & opera sua, imprimis æternum consilium pacis, & grande opus reconciliationis glorificationisque peccatoris per Christum clare ac distincte revelet, quò & ipsæ in posterum Deum recte ac solide cognoscant, & ex recta atque solida cognitione ejus dignam homine lætitiâ percipiant.

§. 30. Videte, Auditores, hic gentes *sapientiam propriam*, quam per tot secula adamaverant, penitus abnegant, quæruntque *sapientiam Dei*, in mysterio lucentem, occultam.



occultam illam, quam præfinivit Deus ab omni æternitate ad gloriam nostram.

§. 31. Notandum autem quam accuratissime, quod gentes vias Dei ab ipso Deo discere velint. Quo satis indicant, *solum Deum* Ecclesiæ N. T. *Doctorem* existere. Id quod & Jesaias aperte significat, cum Ecclesiam N. T. hunc in modum alloquitur: *Omnes filii tui a Iehova edocti erunt*, cap. LIV.

§. 32. Atque ita etiam *primum scopum* adscensionis gentium in Montem Domini, in Domum Dei Jacobi explicavimus.

§. 33. Restat, ut exponamus adhuc *secundum scopum* adscensionis gentium in montem Domini, in Domum Dei Jacobi.

§. 34. Et *hic* quidem illis verbis continetur: *Et ambulemus in itineribus ejus*.

§. 35. *Itinera Dei* idem exprimunt in Scripturis, quod *via Dei*. Unde necessitas haud requirit, ut explicandis Dei itineribus immoremur, postquam vias Dei exposuimus.

§. 36. Sed attente examinandum est, quid  
Jesaias

Jesaias hic *per ambulationem* intelligat, quid *per ambulationem in itinerebus Dei*.

§. 37. *Ambulare* in præsentī Jesaiæ loco notat consilium capere, & operari, ad assequendum bonum finem.

§. 38. Quæ elegans metaphora est, à viatore desumpta, ad distinctum locum tendente, cujus assecutio scopus itineris ejus est.

§. 39. Hoc animadverso, jam facile comprehendere valemus, quid *ambulare* itineribus Dei apud Jesaiam significet.

§. 40. Nimirum *ambulare in itinerebus Dei* apud Jesaiam significat consilia & actiones suas ad decorum finem dirigere, h. e. ad gloriam Dei, quemadmodum Deus omnia consilia, omnesque actiones suas ad decentem finem, sive ad gloriam nominis sui dirigit.

§. 41. Idem significat phrasis *ambulare cum Deo*, quod Moïsi de Enoch prædicat, Gen. V.

§. 42. Paulo aliter vero accipienda est phrasis *ambulare coram Deo*, Gen. XVII.

Hoc



Hec enim significat consilia & actiones suas  
 instituire, tanquam Deo inspectore ac teste,  
 h. e. bene, & ad glorificandum Deum.

§. 43. Quando itaque gentes in itineribus  
 Dei ambulare conantur, cupiunt Deum imi-  
 tando, qui omnibus in consiliis, actionibusque  
 suis convenientem sibi scopum, h. e. glori-  
 am suam, respicit, summum finem, sive  
 glorificationem Dei, ipsis peccata remitten-  
 tis, & jus vitam æternam sperandi donantis,  
 propter Christum, Redemptorem, propo-  
 sitis, atque operibus suis studiose quærere.

§. 44. Igitur gentes non volunt amplius  
 secundum carnem, sed juxta Spiritum am-  
 bulare. Non volunt amplius in vanitate  
 mentis suæ, sed in veritate Dei ambulare.  
 Non volunt amplius in tenebris, sed, in  
 star filiorum lucis, in luce ambulare, quem-  
 admodum Deus in luce est; sicque non  
 amplius communicare volunt cum operibus  
 infrugiferis tenebrarum, sed opera tenebra-  
 rum deponere, & induere arma lucis, atque  
 honeste ambulare, ut in die. Non volunt  
 amplius in odio Dei & proximi, sed in a-  
 more Dei ac proximi, ambulare. Verbo.  
 Volunt ambulare digne Deo, qui ipsas per  
 K Eyan.

Evangelium & Spiritum Christi vocavit ad Regnum suum, & ad gloriam suam.

§. 45. O gentes vere sapientes, quæ ita ambulare desiderant in viis Iehovæ! Nam *recte sunt via Iehovæ, ei justi ambulant in eis; at defectores offendunt in eis*, Hos. XI.

§. 46. O gentes, inquam, vere sapientes, quæ cum cognitione viarum Dei ambulationem in viis Dei conjungere volunt! Nam profecto cognitio viarum Dei sine ambulatione in viis Dei tantum abest, ut ad salutem perducatur, ut potius condemnationem valde aggravet.

§. 47. Ex dictis videtis, Auditores, gentes non semper debuisse in *viis suis curvis atque asperis* ambulare, sed aliquando per Verbum & Spiritum Christi sanctificandas fuisse, ad ambulandum in *viis Dei rectis ac planis*.

§. 48. Et de hac gentium ambulatione in viis Dei, sub N. T. futura, non modo Iesaias in Textu nostro vaticinatur, verum etiam Ieremias, istis verbis: *In tempore illo congregabuntur Hierosolymam omnes gentes ad nomen Iehovæ, Hierosolymam*, inquam, &



non ibunt amplius post obfirmationem cordis sui mali. Igitur in viis Dei ibunt.

§. 49. Rursum Iesaias gentium ambulationem in viis Dei sub N. T. & quidem alacrem, præcinit, cap. XXXV. ubi legimus: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patefient. Tunc saliet Claudus velut cervus, & cantabit lingua muti.*

§. 50. Quin etiam Zophonias cap. III. gentium ambulationem in itineribus Dei sub N. T. non obscure prædicit, hunc in modum: *Tunc vertam ad populos labium purum, ut nuncupent omnes nomen Iehova, ut serviant ipsi humero uno. vel legi ipsius se subjiciant, perque observationem ejus in itineribus ipsius ambulent.*

§. 50. Sciendum vero, multos sub N. T. non vere in via Dei ambulaturos. sed speciem tantum ambulantium in via Dei assumpturos fuisse.

§. 51. De his Iesaias vaticinatur Cap. XXXV. *Erit ibi agger & via, que via sanctitatis vocabitur; per illum, scilicet aggerem, transibit impurus: & ille ipsis erit proprius; qui ambulat via, etiam stulti non errabunt.*

§. 52. Quibus verbis Propheta significanter docet, viam Dei, quæ optimo jure via sanctitatis appellatur, sub N. T. adeo apertam fore, ac tritam, ut illi etiam, qui rectam cognitionem mysterii fidei non acceperunt, atque adeo adhuc stulti sunt viam Dei probe cognoscentium, inque ea sincere ambulantium speciem sint habituri.

§. 53. Atque hæc brevis explicatio est egregiæ istius gentium illuminatarum adhortationis atque invitationis, ad alias gentes nondum illuminatas directæ: *Venite, ascendamus in Montem Domini, in Domum Dei Iacobi, ut nos doceat vias suas, & eamus in itineribus ejus.*

§. 54. Nostrum erit, Auditores, hac in re Patres nostros sedulo imitari, atque gentes, quæ adhuc alienæ sunt a communionem Christi, & coelestis Ierusalem, viasque Dei nondum sciunt, neque in iis ambulant, tum nostro exemplo, tum salubri doctrina, ad quærendum communionem Christi, sanctorumque, qui Hierosolymis in Christum crediderunt, ad discendum vias Dei, & ambulandum in eis invitare & exhortari:

§. 55. Sane id mandat nobis *lex amoris Dei*, dum serio a nobis postulat, ut glorificatione-



ficationem Dei in proximo nostro omni modo promoveamus.

§. 56. Atqui tum demum promovemus glorificationem Dei in proximo nostro, cum ad quærendum communionem Christi, & Ecclesiæ, ad discendum vias Dei, & ad incedendum in illis intigamus.

§. 57. Quin etiam *Lex amoris proximi* officium illud nobis imponit, dum nos omnem operam dare jubet, ut proximus noster ad veram & stabilem felicitatem, h. e. ad gloriam æternam nobiscum perveniat.

§. 58. Hoc vero nequaquam facimus, cum proximum nostrum ad colendum communionem cum Christo, & sanctis, ad recognoscendum vias Dei, & ambulandum in eis non excitamus.

§. 59. Inprimis autem eos *Lex amoris Dei ac proximi* ad opus istud obligat, qui, Dei providentia, vocantur ad hortandum gentes, ut, abjurata infidelitate, deposita ignorantia, vitæque omissa profanitate, in Christum, Salvatorem; credant, vias Dei discant, & in illis ambulent.

§. 60. Et hi quidem opus illud alacriter in se suscipere non modo possunt, sed etiam  
K 3 debent,

debent, quia certam ex Scripturis Prophe-  
ticiſpem habemus, fore, ut aliquando  
*plenitudo gentium intret*, Rom. XI. *sive om-  
nes gentes veniant, & adorent coram Domi-  
no*, Apoc. XV.

§. 61. Quamvis nemo illorum proſpe-  
rum laboris ſui eventum ſibi certo promitte-  
re queat. Nam, habet *Testimonium*, h. e.  
Evangelium, *καί τις ἰδίῃς* propria ſive *praſti-  
tuta tempora* quibus recipitur & creditur,  
quæ homines ignorant, 1. Tim. II.

§. 62. Interim tamen eorum quiſque cum  
lætitiâ bonæ conſcientiæ perſuaſum habere  
poſteſt, ſe rem præſtare non minus Deo gra-  
tam, quam miniſtro Evangelii dignam.

§. 63. Invitemus ergo, quoquot hanc  
Spartam naſti ſumus, gentes, adhuc in te-  
nebris confidentes verbis Jeſaiæ: *Venite,  
aſcendamus in Montem Domini, in Domum  
Dei Jacobi, ut doceat nos vias ſuas, & in-  
cedamus in itineribus ejus.* Adhortemur, in-  
quam, eas diſto Zachariæ: *Eamus eundo  
ad ſupplicandum Iehove, & ad quarendum  
Iehovam Deum exercituum. Ibo & ego. A-  
men.*

F I N I S.



VI.

Dissertatio  
De  
Religionis Christianæ  
Defensione  
&  
Propagatione.

V  
D  
Religionis Christianae  
Defensione  
Propaganda

L  
C  
quo  
con  
in  
§  
dis  
N.  
tim  
Ira  
sec  
cui  
Rel  
ad  
nos  
pau



# Differtatio de Re- ligionis Christianæ Defensione & Propagatione.

## §. I.

**C**onsilium est, sanctissimæ Religi-  
onis Christianæ defensionem aduersus  
quoslibet hostes, cum insigni horum pœna  
cōiunctam, simulque illius propagationem  
in mundo breviter proponere.

§. 2. Putamus autem, nos id bono or-  
dine præstituros, si a primis Regni Dei sub  
N. T. periodis ad medias, & ab his ad ul-  
timas descendamus.

§. 3. Extra omne dubium est, infideles  
Israëlitas primos Religionis Christianæ per-  
secutores extitisse. Verum mature compe-  
scuit Deus illorum in confessores Christianæ  
Religionis sævitiam, dum eos non diu post  
adscensionem Christi in cœlum per Roma-  
nos partim delendos, partim per uniuersum  
mundum dispergendos curavit.

K 5

§. 4.

152 Desert. de Rel. Christianæ.

§. 4. Consimili modo Deus, postquam fidem & charitatem confessorum Religionis Christianæ abunde probasset, idololatriæ ac superstitioni deditissimos Romanos potentia sua coërcuit, ne amplius sanguinem confessorum Christianæ Religionis, instar aquæ impuræ, effunderent.

§. 5. Immo effecit Deus, ut feroces Romani *gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones cuderent*, h. e. ex persecutoribus Religionis Christianæ propagatores ejusdem, Ies. II. 4,

§. 6. Unde confessores Religionis Christianæ, Romanorum Imperatorum erga Ecclesiam favorem jam satis experti jute exclamabant - איבנו שפמים *Inimici nostri evaserunt Indices* sive benigni Patroni ac Defensores Fidei Christianæ, Deut. XXXII. 31.

§. 7. Atque illo tempore Ecclesia Christiana cum Christo *a Libano venit: spectavit a vertice Amanæ, a jugo Senir & Hermon, a speluncis Leonum, a montibus Pardorum*, Cant. IV. 8. Et *Mulier*, h. e. Ecclesia Christiana, *fugit in desertum, ubi habebat locum paratum a Deo ut ibi nutirent eam dies mille ducentos & sexaginta*, Apoc. XII.

6.



Defens. ac Propagatione. 153

6. Adde Psalm. CVII. 4. & 7. *Errabant in deserto, in invio; urbem habitationis non inveniebant. Et duxit eos in viam rectam, qua irent ad* URBEM HABITATIONIS.

§. 8. Notandum hic: ista pace ac prosperitate Ecclesiæ durante, complures gentes, quæ hæctenus nefandam idololatriam ac superstitionem certatim sectatæ fuerant, ad nomen Christi convolasse, atque adeo Religionis Christianæ confessoribus se adjunxisse.

§. 9. Etsi autem inter eas plurimi hypocritæ reperiebantur, qui tantum *exterius atrium* possidebant, h. e., nil nisi externa, veluti nominationem Christi sive confessionem Christianæ Fidei, & sigilla justitiæ Dei, cum Ecclesia communia habebant. Apoc. XI. 2. tamen in illis etiam veri fideles ac sancti erant, qui Christum, ut Arcem Dei, & Rupem salutis apprehendebant, & in viis Domini sincere ambulabant.

§. 10. Postea, cum nempe Ecclesia Christiana per non paucos annos sub Christianis Cæsaribus in exoptata pace vixisset, & insignia incrementa per accessum validarum gentium ad Christum sumsisset, rursus quidem

quidem confessores Religionis Christianæ ab innumerabilibus populis barbaris pressi ac vexati sunt ; sed tamen & hi Christianam Religionem haudquaquam potuerunt extinguere. Nam partim Dei exerto brachio ipsi deleti, partim ad Christianam Religionem vere conversi, partim Christo ac sanctis mentiri coacti sunt.

§. 11. Quod luculentum factum ex parte edicitur *Jes. LVI. 8. 9. Dicit Dominus Deus, congregans depulsos Israël: Adhuc aggregabo ad aggregatos ejus. Omnes feras agri, venite, ad commendendum omnes feras in Sylva.*

§. 12. Similiter Pastor *Nihili* sive *Annichristus* ILLE amatores ac confessores vere Christianæ Religionis omni vi sua delere nequaquam potuit.

§. 13. *Vicit* quidem illos aliquo modo per aliquot secula, dum eos sævissimis persecutionibus ad paucitatem redegit, ac latere coëgit, immo etiam abundantia defectiōnis ad communionem quorundam errorum pertraxit : attamen nunquam perfectam de iis victoriam reportavit.



§. 14. Fuit igitur semper, imperio Antichristi *florente*, certus numerus hominum. Christianæ Religioni sincere adhærentium.

§. 15. Ut plane non dubitemus ad illud tempus egregiam hanc prophetiam referre. *Et vidi, & ecce Agnus stans in monte Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor chiliades habentes nomen Patris ipsius scriptum in frontibus suis. Et audivi vocem ex coelo, ut vocem aquarum multarum, & ut vocem tonitruu magni; & vocem audivi citharædorun citharis suis canentium. Et canebant, ut canticum novum, coram throno, & coram quatuor animalibus, & senioribus: & nemo poterat intelligere canticum illud, nisi centum ille & quadraginta quatuor chiliades, ii, qui emptierant a terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non inquinati sunt. Virgines enim sunt, qui sequuntur Agnum, quocunque vadat. Hi empti sunt ab hominibus primitia Deo & Agno. Et in ore eorum non est repertus dolus. Irreprehensibiles enim sunt coram throno Dei, Apoc. XIV. 1. 2. 3. 4: 5.*

§. 16. Estque hic sedulo observandum, quod sub Regno Antichristi *Florente* multæ gentes crassa idololatria ac superstitione relicta, Christianam Religionem amplexæ fuerint.

erint. Quæ licet maximam partem peculium Antichristi evaserint: tamen Christus quoque in illis hereditatem suam habuit.

§. 17. Deveniamus nunc ad tempus *Reformationis* Ecclesiæ; quod, nostra quidem sententia, maxime notabile est. Nam Deus per *Reformationem* Religionem Christianam ab innumeris hæresibus, erroribus, ac mendaciis stupidissimis & nequissimis, quibus in *Magna Civitate, Stulti Pastoris* seductione, per complura secula, maculata fuerat, repurgare coepit, & ad ejus, ita repurgari coeptæ, amorem ac professionem plurimos populos invicta potentia sua suaviter pertraxit.

§. 18. Voluit quidem Antichristus hanc *Evangelii æterni prædicationem* Apoc. XIV. 13. inhibere, & Ecclesiam Babylone egressam in eam obtorto collo retrahere: sed hic conatus ipsius prorsus inanis fuit.

§. 19. Quamvis enim Reges Antichristo fervientes confessores Christianæ Religionis Reformatæ aliquamdiu viderentur vicisse: tamen mox extenso brachio Dei ita perterriti sunt, ut *sacram pacem* illis concederent.

§. 20.



§. 20. De qua pace Ies. cap. LVII. 18.

19. *Vias ejus vidi, & sanabo eum, & ducam eum & rependam consolationes ei, lugentibus ejus, creans fructum labiorum, Pax, pax, longinquo & propinquo, h. e. æque ille, qui propter odium veritatis a Dei communionem remotus est, & propterea non audeat ad Deum prope accedere, atque isti qui per sincerum amorem veritatis cum Deo communionem habet, atque adeo libertatem ac fiduciam ad thronum gratiæ appropinquandi, ait Iehova, & sanabo eum.* Item cap. LXVI. 10. 11. 12. *Letamini cum Hierosolyma, & gaudete in ea, omnes diligentes eam, hilaramini cum ea, omnes, qui letigetis propter eam: ut surgatis, & satiemi ex ubere consolationum ejus; ut surgatis, & deliciemi ex animalibus gloriæ ejus. Nam sic dixit Iehova: Ecce ego extendo ad illam, ut fluvium, pacem, & ut torrentem exundantem, gloriam gentium, & surgetis, &c.* Adde Apoc. III. 4. VI. 11. ubi stolæ albæ elegantissimum Hieroglyphicum existunt *pacis Religionis*, superiore ævo Ecclesiæ ab hostibus suis, non sine horum ploratu, ac stridore dentium, datæ.

§. 21. Quid jam dicemus de *ferali* seculo nostro? Nonne illo Christiana Religio Refor-

158 Defens. ac Propagatione.

Reformata mirabilem in modum adversus Antichristi, Regumque cum ipso scortantium defensa a Deo est? Dum enim hi ( de quibus Iesaias verissime dicit: *Improbi, h. e. a justitia Dei alieni, sunt, ut mare emotum, quod quiescere non potest, & ejiciunt aque ejus coenum ac lutum: non est pax, inquit Deus meus, improbis, LVII. 20. 21.* ) Christianam Religionem Reformatam in magno aliquo Imperio penitus extinguere, ejusque confessores de novo in Babylonem, quæ nunc, post primum casum, *habitaculum demonum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis avis immunde ac odiosa* merito audit, Apoc. XVIII. 2. reducere valde laborabant; atque etiam multos, sed in fide non fundatos ac firmos, Babyloni jam reddiderant: Deus servis suis, ipsum judicia justitiæ serio flagitantibus, ex Aquilone מושׁבֵי שׁוּמֹן *Servatorem ac Patronum*, dedit, Ies. XIX. 20. qui *Pastorem Nihili, & Brachium ejus Zach. XI. 17.* gravissimis claudibus affecit, quartum exoptatissimus effectus nova fuit pax Ecclesiæ data.

§. 22. Sic Dominus Deus arcum e manu leva Gogi excussit; & sagittas ejus e dextera projecit, Ezech. XXXIX. 3.

§. 23.



Defens. ac Propagatione. 159

§. 23. Quid porro Antichristo, purpurato conscientiarum carnifici, Regibusque ipsi potentiam, & potestatem suam tradentibus, ob præteritas, & hodiernas persecutiones innocentum confessorum Religionis Christianæ Reformatæ, eventurum sit, dies clare docebit.

§. 24. Certe, juxta prophetias, ad ultima N. T. tempora pertinentes, longe duriores, dirioresque plagas in posterum patietur Babylon, atque hæcenus passæ est.

§. 25. Considera saltem mecum phialam septimam: *Et septimus Angelus effudit phialam suam in aërem: & exiit vox magna ex Templo in coelo, a throno, dicens: Factum est. Et factæ sunt voces, & tonitrua, & fulgura: & terra motus factus est magnus, qualis non est factus, ex quo homines exierunt in terra, tantus terra motus, ita magnus. Et facta est Civitas Magna in tres partes: & civitates gentium conciderunt: & Babylonis illius Magna mentio facta est coram Deo, ad dandum ei poculum vini excandescentie ira ipsius. Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi. Et grando magna, velut talenti, pondere descendebat ex coelo in homines: & blasphemarum homines Deum ob*  
L plagas

plagam grandinis. Nam magna erat plaga  
ejus admodum, Apoc. XVI. 17. 18. 19 20.  
21.

§. 26. Verissimum quidem est, inauditas  
hæc plagas non modo Babylo-  
ni, sed etiam populo Christianam Religionem Reforma-  
tam profitenti imminere: idque propter gran-  
dia ipsius peccata; qualia sunt universalis  
neglectus Verbi Dei, iustitiæ & regni ejus, vi-  
tæ erubescenda vanitas & improbitas, scor-  
tatio cum Babylone, sive studium ipsi pla-  
cendi, fiducia in ea, atque imitatio omnium  
factorum ejus: attamen præcipue ad Babylo-  
nem spectant, utpote *cujus peccata usque ad  
cælum secuta sunt, & recordatus est Deus  
scelera ejus*, Apoc. XVIII. 5.

§. 27. Et vero jam nostris diebus satis  
videmus horribilia justissimi Dei in Babylo-  
nem judicia. Inter quæ non minimum est,  
quod Jes. XLIX. 26. exprimitur: *Et faci-  
am ut vexatores tui carnem suam invicem co-  
medant, & tanquam musto, sanguine suo  
inebrientur; & cognoscet omnis caro, quod  
ego sim Iehova, Salvator tuus, & Asser-  
tor tuus, Heros Jacobi-*

§. 28. Quamvis etiam lachrymabundi fa-  
teri



Defens. ac Propagatione. 161

teri cogamur, Deum insolita iudicia in Ecclesiam Reformatam hodie exercere.

§. 29. Quæ quidem nos ingenua fiducia in Christo, *Rege Regum, ac Domino Dominorum*, a capitibus nostris mature avertere debebamus, & poteramus.

§. 30. Verum enim vero tantum abest, ut nos, qui, ineffabili Christi, beneficio *spiritualis Ægypti* tenebras evasimus, & ex illo tempore toties præsentis exitio Christi manu, erepti fuimus, ut, inquam, nos, in calamitate nostra, sane maxima, fiduciam in Christo collocemus, aut ad ejus auxilium potentissimum serio confugiamus, ut potius omnem propemodum spem nostram in hominibus sive *brachio carnali* ponamus.

§. 31. Cum tamen præcedentia Ecclesiæ Reformatæ fata recordati perfacile animadvertere possimus, fiduciam in *brachio carnali* nunquam Ecclesiæ utilem sed potius valde noxiam semper extitisse.

§. 32. Profecto *melius est confugere ad Iehovam, quam considerare hominibus. Melius est confugere ad Iehovam, quam considerare Principibus*, Psalm. CXVIII. 8. 9.

§. 33. Magnum autem peccatum est Ecclesiæ Reformatæ propter auxilium: *diligere eam, cujus clypei dederunt ignominiam*, Hof. IV. 18. vel, quod Judæis exprobratur, *nisi percussoribus suis, non autem nisi Iehova, Sancto Israël in veritate*, Jes. X. 20.

§. 34. Optimum medium evadendi injuriam, furoremque hostium procul dubio est audire Christum, & in viis ipsius ambulare.

§. 35. Ipse Christus hoc aperte indicat, cum de Israële, propter infidelitatem, & rejectionem justitiæ ac regni Christi sub gravi Romanorum jugo gemente, dicit: *Si populus meus audiret me, Israël in viis meis ambularet: brevi inimicos ipsorum flecterem, & contra hostes ipsorum referrem manum meam: osores Iehova mentirentur ipsi, & fuisset tempus ipsorum in seculum*, Psalm. LXXXI. 14. 15. 16.

§. 36. Quod si vero hoc medium negligatur, & fiducia in brachio carnali, inque hostibus Dei Ecclesiæ reponatur, & licet illud maximum robur videatur habere, & horum equi numerosi admodum sint: tamen inde Ecclesia veram aut solidam liberationem

non



non consequitur, Deo occultante faciem suam ab illa.

§. 37. Quam velle Deum ad tempus abscondere ab Ecclesia Reformata, in ultimo cum Gogo & Magogo certamine constituta, fatis apparet ex hisce Dei ipsius verbis : *Et cognoscant gentes, quod ob pravitatem suam exulaverint Domus Israël propterea quod pravaricati fuerint in me, atque ideo occultaverim faciem meam ab ipsis, & dederim illos in manum hostium ipsorum, & ceciderint gladio omnes ipsi, Pro impuritate ipsorum, & pro defectionibus ipsorum feci cum ipsis, & occultavi faciem meam ab ipsis* Ezech. XXXIX. 23. 24.

§. 38. Licet autem confessores Christianæ Religionis Reformatæ maximas adhuc passuri sint persecutiones atque afflictiones, & manus populi sancti, satis confracta, amplius sit conquassanda, Dan. XII. 7. certum nihilominus est, Christum pro populo suo staturum, ibid. vers 1. eumque ex persecutionibus atque afflictionibus fortissimo brachio erepturum, hostes vero suos ac populi sui mirabili modo confusurum.

§. 39. Atque hac spe firma freti lubenter obtemperamus gravissimæ isti adhortationi

tioni, ad nos omnino directæ. *Abi, popule mi, intra in penetralia tua, & claude januas tuas pone te: deluesce parvo momento, donec transeat excandescencia. Nam ecce Iehova exit ex loco suo, ad visitandam pravitatem habitantis terram super ipso, & retegget terra sanguines suos, & non teget adhuc casos suos, Jel-XXVI. 20. 21.*

§. 40. Quod iudicium cum in Bestia & Pseudopropheta & Imagine Bestiæ consummatum fuerit, tum, juxta ipsius Christi prædictionem, *Evangelium Regni predicabitur in TOTA HABITABILI in testimonium omnibus gentibus, Matth. XXIV. 14.*

§. 41. Atque ita omnes gentes ultimis temporibus N. T. ad quæ nos pervenimus, ad Religionem vere Christianam Dei Spiritu ac Verbo convertentur.

§. 42. Nominatim Ægyptiis, *πνευμαλι-κῶς* sic dictis, Assyriis sive Turcis, atque etiam Israëlitis hoc beneficium obtinget, uti Iesaias vaticinatur cap. XIX. 24. 25, his verbis: *Eo die (cum nempe Ægyptii servient Assyriis, vers 23 atque ita Sceptrum Ægypti abierit Zach. X. 11.) erit Israël tertia Ægyptius & Assyrus, benedictio in medio terra: cum eum benedixerit Iehova Deus*



Defens. ac Propagatione. 165

Deus exercituum, dicendo: *Benedictus populus meus Aegyptii & opus manuum mearum Assyrii, & hereditas mea Israël.*

§. 43. Speramus etiam, sub *postrema* Ecclesiae N. T. periodo impletum iri quod extat Zach. XIV. 9. *Illo die erit Iehova unus, & nomen ejus unum*, h. e. tolletur schisma inter fratres, ut in perfectissimo sensu unum Iehovam, unum Christum nominent, inque emphasi unam de Gratia & Testamento & Foedere & viis Iehovæ doctrinam foveant. Adde Ies. XI. 12. *Et recedet zelus Ephraim: Ephraim non zelabit Iudam, & Iuda non oppugnabit Ephraim.*

§. 44. Atque hoc modo Religio Christiana sine dubio summum culmen conscendet maximumque splendorem obtinebit in mundo. Amen.

F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



VII.

Differtatio  
De  
Doctrina Christi &  
Apostolorum.

VII.

Dissertatio

De

Doctrina Christi &

Apollolorum.

P  
fero  
fall  
com  
Leg  
S  
clar  
at  
fren  
loqu  
S  
Nam  
traxi  
mimo



# Dissertatio

## De Doctrina Christi & Apostolorum.

### §. I.

**P**Lacet breviter de Doctrina Christi atque Apostolorum ex Scripturis differere. atque hac occasione Babylonem de falsitate dogmatum Dominorum suorum serio commonefacere, & ad recipiendum *solam* Legem Christi instigare.

§. 2. De Doctrina Christi Deus Pater clarissime vaticinatur Deut. XVIII. 18. ubi ait: *Prophetam suscitabo eis e medio ipsorum, sicut te: & indam verba mea ori ejus, ut loquatur ad eos; quicquid praecepero ipsi.*

§. 3. Quis ille Propheta. nisi Christus? Nam hic ex Israëlitarum gente originem traxit, secundum carnem, nec Mose fuit minor. Deinde ea verba locutus est, quæ non

170      Dissertatio de Doctrina.

non nisi pro *Dei verbis* haberi possunt. Qualia sunt: *Respicite ad me, & salvamini omnes fines terræ*, Ies. XLV. 22. Item: *Venite ad me omnes, qui fatigati estis ac onerati: & ego faciam ut requiescatis.*

§. 4. Rursum de Doctrina Christi Deus Pater prophetat Ioël. II. 23. istis verbis: *Filii Sion, gaudete, & letamini in Iehova, Deo vestro, quia dabit vobis חמורה לצדקה Doctorem illum ad justitiam.*

§. 5. Hic Doctor justitiæ procul dubio Christus est. Nam is *justitiam Dei*, h. e. justitiam fidei, frequenter *annunciavit in cætu magno* Israëlitarum, uti ipsemet de se testatur, Psalm XL. 10.

§. 6. Verissime igitur exclamat Christus: *Unxit me Iehova ad Evangelium predicandum mansuetis, misit me ad obligandum fractos coræ, ad nunciandum captivis libertatem, & vinctis acutum visum, ad indicendum annum acceptationis Iehova, ad consolandum omnes lugentes*, Ies. LXI. 1. 2. Similiter: *Dominus Iehova dedu mihi לשון למודים linguam eruditorum, ut sciam opportune loqui cum fesso*, Ies. L. 4.

§. 7.



§. 7. Verissime quoque Sponsa de Christo, Sponso, prædicat: *Gratia effusa est in labia tua*, Psalm, XLV. 3. Quippe iis Testamentum ac Foedus gratiæ plenissime pariter ac planissime explicuit Christus. Item: *Palatum ejus est dulcedo mera*, Cant. V. 16. Nimirum quia Christus *Verba Dei* loquitur, quæ, eo quod de justitia adducta, & salute parta copiose, clare, ac distincte testantur, animæ peccatoris sunt *dulcia* sive suavia, & consummatæ lætitiæ in ea excitandæ idonea, Psalm. XIX. 11.

§. 8. Ex dictis haud obscure patet, Christum summo jure de se adseverare, quod sit *unicus* sub N. T. *Καθηγητής* *Doctor*, Matth. XXIII. 8.

§. 9. Quod etiam inde clarum est, quod Prophetæ fidelibus N. T. nullum alium Doctorem promittant.

§. 10. Unde sequitur, quod *solius* Christi discipuli OMNES simus sub N. T. quibus convenit *sedere coram Christo*, Ies. XXIII. 18. ut *fratres*, Psalm. CXXXIII. 1. ad excipiendum ex ore ejus *אמרי שפר* *dicta decora*, quæ dat, XLIX. 21. *Ænigmata ab antiquo*, sive omnium veterum Prophetarum, quæ *scatebra more effundit* cum limpida

limpida eorum interpretatione, rebus ipsis  
 luculenter comprobata, Psalm. LXXVIII.  
 2. coll, cum Matth. XIII. 35. atque ita ad  
 discendum ab ipso NOMEN Dei, quod  
 notificavit nobis, Joh. XVII. 6. *ponendo le-*  
*gem Dei in medio nostri*, Jerem. XXXI.  
 33.

§. 11. Id quod fecit Christus non pro-  
 prio sermone. quoad sub lege fuit, sed eti-  
 am; post gloriosam occupationem Throni  
 cœlestis, per *Evangelistas* atque *Apostolos*  
 suos, in quibus λόγον καταλλαγῆς *sermonem*  
*reconciliationis* posuit, 2. Cor. V. 19. ad  
 perferendum eum ad Judæos & omnes gen-  
 tes, Matth. XXVIII. 19. ut ipse per eum  
 Judæis ac gentibus coecis innotesceret, &  
 Regnum in iis acciperet.

§. 12. De illis, nempe *Evangelistis* &  
*Apostolis*, loquitur Jesaias cap. LIII. 7.  
*Quam decori sunt in montibus pedes nunci-*  
*antis Evangelium, qui faciunt audiri pacem,*  
*qui indicat bonum, qui predicat salutem! qui*  
*dicunt Sioni, Rex factus est Deus tuus. Cui*  
*concinit Psalm. LXVIII. 12. Dominus dat*  
*dictam turma annunciantium faciunt exerci-*  
*tum magnum.*

§. 13.



§. 13. Eosdem fideles N. T. intelligunt, quum læta vero ad Jehovam dicunt Psalm. VIII. 3. coll. cum Matth. XI. 25. 26. מפי יונוקים ויללים *Ex ore infantum & lactentium fundasti robur*, h. e. verbum Apostolorum, maximam partem hominum simplicium, rudiumque, & sapientia mundana destitutorum, ac propterea pro infantibus habitorem a sapientibus secundum carnem, erexisti Ecclesiam, quæ est מוסד מוסד *fundatum fundatissimum*, Jes. XXVIII. 16. *cui porta inferorum non prevalebunt*, Matt. XVI. 18.

§. 14. Quo ipso verbum Apostolorum, h. e. Evangelium, per Apostolos prædicatum, clarissime demonstratum fuit מטה מוסדה *peritica foundatione*, Jes. XXX. 32. & *virga roboris Christi*, missa a Iehova e Sione Psalm. CX. 2. nempe ad destruendum ratiocinationes. omnemque celsitudinem, sese efferentem contra cognitionem Dei, & ad abduendum captivam omnem cogitationem in obedientiam Christi, 2. Cor. X. 5.

§. 15. Iidem Apostoli Psalm. XVI. 3. indignantur per ארורים *Duces illorum*, in quibus est omnis voluptas Iehovæ: quibus Christus *bonitatem* sive gratiam Iehovæ perfectissima

fectissima obedientia sua promeritus est, ut eum Jehova decenter sive juste ac sancte ipsis posset impertiri, *ibid.* vers. 2.

§. 16. De iisdem quoque sermo & *Psal.* XLV. 13. *Et, filia Tyri, cum munere tibi supplicam Divites populi.* Nam Apostolis, de Israële sumptis, dedit. Deus ingentem *σὺν ἡμῶν* in mysterio Christi, idque longe uberius clariusque, quam antea factum erat unquam, illis *revelavit per Spiritum*, *Ephes.* III. 4. 5. Quo dono gratiæ Dei instructi Apostoli, *secundum efficaciam potentia ejus, genibus*, quarum *Mater atque Metropolis* antiqua erat Tyrus Phœnicia, *impevestigabiles divitias Christi* annunciarunt, *ibid.* vers. 7. 8. easque Ecclesiæ incorporarunt ac *implamarunt.* *Hof.* IX. 13.

§. 17. Idque fecerunt, non dira execratione homines perterrefacendo, aut pugno eos cædendo, (qualibus mediis Antichristus & complices ejus utuntur in conversionibus hominum, quas, jactant) sed *diem ac noctem cum lachrymis monendo quosvis homines.* *Act.* XX. 31. & tanquam Deo rogante per eos, petendo Christi causa: *Καταλάβετε τὸν θεὸν* *Redite in gratiam cum Deo.* 2. *Cor.* V. 20. & quidem cum demonstra-  
tione



tionem admirabilis constantiæ in perfectionibus propter veritatem Evangelii, imo cum voluntaria, lætissimaque corporis sui atrocissimam in mortem traditione illiusque fortissima toleratione: ut *homines in Christo, & Christus in hominibus*, ipsorum doctrina, & exemplo perfectionis ac mortis ipsorum ad veram fidem adductis, *dona* acciperet, Ephes. IV. 8. Psalm. LXVIII. 19. sicque illi gratia Dei sapientia, prudentia, iustitia, vita, spe ac salute ditarentur, 2. Cor. VI. 10.

§. 18. Neque tantum plenissime patefecit Deus Apostolis per Spiritum S. ipsis *sine mensura* datum regnum suum ac iustitiam, ad prædicandum ea hæcenus in viis suis relictis gentibus; sed etiam donavit eos virtute plurima, maximaque miracula patrandi, Marc. XVI. 17. 18. ut iis sincera veritas Evangelii confirmata ac constabilita efficacius in hominibus operaretur; atque hoc pacto validissime demonstraretur *δύναμις θεῶ ἐν σωτηρίᾳ παντὶ τῷ πισθούῳ*, *potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. I. 16.

§. 19. Hisque omnibus, nempe divinæ ac sublimis doctrinæ Evangelii limpida, distincta, simplici, perfecta propositione,

M

perfe

persecutionum furentis mundi, ipsiusque mortis, propter nomen Christi ipsis illata, incredibili tolerantia, denique miraculorum, ab ipsis in nomine Dei editorum, frequentia ac magnitudine, fuerunt Apostoli  
 ⲓⲛ ⲥⲓⲒⲛⲁ ⲁⲥ ⲡⲣⲟⲇⲓⲒⲁ, Jes. VIII. 17.

§. 20. Quum igitur Christus *Sermonem Dei* gentibus plene tradiderit & Apostoli universum *fidei ac pietatis mysterium* eas locupletissimum in modum, & admirabili cum claritate docuerint; atque ita per Christum atque Apostolos *obsignatus sit Propheta & visio*, Dan. IX. 24. quid porro agnoscis ac collis, ô insipiens ac imprudens Babylon! *Papam* aliquem, qui a glorificatione Christi, & ab excessu Apostolorum, unicus Ecclesiæ in terris Doctor sit, cui, etiam sine ulla demonstratione aut manifestatione veritatis ex Scripturis ad conscientiam de Cathedra loquenti, firmam fidem habere oporteat omnem, salutem æternam consequi volentem: nempe propter summam auctoritatem ac potestatem, quam Deus ipsi concesserit?

§. 21. Aut quid adhuc respicis multitudinem Episcoporum, qui sint *Domini fidei* tuæ, quorumque te subicias doctrinæ, tanquam *ⲁⲓⲡⲟⲛⲓⲛⲟⲥ* aut a Spiritu Dei profectæ?

§. 22.



§. 22. An nondum animadvertis, Papam tuum, eo ipso, quod Scripturam sibi subji-  
cit, existere *Antichristum illum*, qui in  
*Templum Dei, ut Deus, considerare, seque ip-  
sum declarare, quod esset Deus, & μωχίριον*  
*της ἀνομίας* secretum discessionis a Lege Dei  
consummare debebat? 2. Theff. II. 4. 7.

§. 23. An nondum vides, Episcopos tu-  
os congregatos, dum te ab ore suo depende-  
re volunt in rebus ad fidem spectantibus,  
ponere se in censu illorum *ψευδοδιδασκάλων*,  
qui, juxta prædictionem Petri, *præterinve-  
nturi* erant *hæreses exitiales* quibus Herum,  
qui eos *mercati* erat, *abnegaturi*, *celerem-  
que interitum* sibi *acceressuri* essent, quorum pe-  
stes multi *secuturi* erant, propter quos *viave-  
ritatis blasphemanda* erat? 2. Epist. cap. II.  
versibus 1. 2. Aut eos, dum *assumunt cor-  
nua duo similia Agni*, h. e. Scripturas V.  
ac N. T. quibus, tanquam potentissimis  
instrumentis, *Agnus* utitur *πρὸς καθάρσειν*  
*ὄχυρομάτων* ad destructionem munimentorum  
& ad subjuendum sibi mundum, profiten-  
tur, ex iisque se docere jactant, *loqui ut*  
*Draconem*, Apoc. XIII. 11. *se transfor-  
mantem in Angelum lucis*? 2. Cor. XI. 14.

§. 24. An, inquam, nondum deprehen-  
dis,

dis, in te Dominis fidei tuæ perfectissimo modo impleri, quod Spiritus diserte prædixit, nempe in posterioribus temporibus quosdam discessuros a fide; attendentes spiritibus seductoribus, & doctrinis demoniorum, in hypocrisi mendacium loquentium, propriam conscientiam canterio adustam habentium, verantium uxores ducere, jubentium abstinere cibis, quos Deus condidit ad participationem cum gratiarum actione fidelibus, & qui veritatem agnoverunt? 1, Tim. IV. 1.

§. 25. Quæ cum ita revera se habeant, quare non tandem aliquando nuncium mittis, O horribili scotomate percussa Babylon! Papæ & Episcopis tuis? sive desinis a *Baculo tuo*. h. e. Viris pedo Pastoralis prædicationis, indicationem credendorum faciendorumque ad adeptionem justitiæ ac vitæ postulare? Hof. IV. 12.

§. 26. An perpetuo cum cæcis Judæis de Doctoribus tuis jactabis? *Non peribit Lex a sacerdote, & consilium a Sapiente, & sermo a Propheta*, Jerem. XVIII. 18. Quamvis clarissime uberrimeque demonstratum tibi sit, stilum Doctorum tuorum *mendacem legem Fidei*, misero peccatori viam, eamque rectam ac planam, ad communionem Dei

Dei



Dei & gloriam æternam perveniendi accurate monstrantem, jam dudum in mendacium vertisse.

§. 27. An perges Pastores tuos Apostolis, qui veluti רעים כלב יהוה *Pastores secundum cor Iehovæ, paverunt Israël* scienter & considerate, Jerem. III. 15. exæquare? Aut fidem habere illorum cuilibet, de se glorianti: אני בן חכמים *Ego sum Filius Sapientum*, h. e. successi Prophetis atque Apostolis, eorumque sapientiam amplissimam jure hereditario accepi? Jes. XIX. 11. Etiam quando clarissime videre potes, si modo attendas, ipsos non *Apostolorum*, sed *suam* doctrinam adferre, atque in id unice incumbere, ut nomen mereantur ארנים חרי *Textorum retium*, ibid. vers 9; h. e. si verum fateri licet, illorum, qui sophismatis, sive fraudulentis, miroque artificio, & magno labore compositis sermonibus ac scriptis salutarem veritatem, quam Apostoli *facili stilo & methode* proposuerunt, intricant, atque adeo etiam sectatores suos æterno exitio, quantum in ipsis est, implicant. Quæ sane non sapientia, sed *υβεία*, sed *παραργία* &, Ephes. IV. 14.

§. 28. Ne facias ita est in posterum, Babylon

M 3

lon

lon. Humilem potius opinionem, & Scripturis consentaneam de illis concipe ac fove.

§. 29. Sicque penitus repudia Legem Pseudoprophetæ ILLIUS, qui ponit os suum in cælum, ut lingua sua perambulet terram, Psalm. LXXIII. dum non contentus loco discipuli Jehovæ, cujus est in terra stare ad scabellum pedum Christi, *unici Ecclesie Doctoris*, Matth. XXIII. 10. vult esse *Dominus ex cælo*, ad instar Christi, & *verba Dei* loqui, Deut. XVIII. 18. Joh. III. 34. ut tota terra ipsum *Dominum lingue*, sive summa potestate præditum doctrinæ salutaris *Dispensatorem* atque infallibilem *Interpretem* recognoscat, Psalm. XII. 5. qui denique sedens in *Throno Nequitia* fingit *arumnam præter statutum*, Psalm. XCIV. 20.

§. 30. Nec tantum, sed prorsus rejice etiam auctoritatem docendi, quam sibi attribuunt ceteri Pseudoprophetæ, qui a *grandi* illo Pseudopropheta, velut *Capite suo*, dependent.

§. 31. Nam illi non habent *Spiritum*, qui ipsos in rebus fidei immunes præstet ab erroribus, ut tu quidem, ab ipsis horribilem in modum decepta, temere credis, sed *Spiritum scortationis*, Hof. IV. 12. qui efficit, ut  
*offendant*



offendant tecum nocte, Hof. IV. 5. Sunt engastrimythi & divini, pipientes ac gementes, quales erant Pharisei ac Scribæ, Patriarchæ ipsorum, Jes. VIII. 19.

§. 32. Tales itaque quum revera existant Doctores tui, plene relinque tandem aliquando ipsorum σοφιστικὴν ἀπάτην καὶ γοητείας, & a Cathedra ipsorum, unde fere nisi blanda verba, ex duplici corde profecta, error, mendacium, hæresis, blasphemia in Testamentum ac Fœdus Dei, in justitiam, & regnum, & populum Christi audiuntur, longissime recede.

§. 33. Contra soli Christo te nobiscum trade docendum, & Evangelium, per Apostolos prædicatum, cum cura ac studio in timore Domini lege & perpende.

§. 34. Hoc cum feceris, tum quoque nobiscum de possessione salutaris veritatis, atque adeo de immunitate ab hæresibus & erroribus exitiis vere gloriari poteris.

FINIS.

Erra-

## Errata Typothetæ errore illata.


P Ag. 6. lin. 5. legend. penitius p. 9. l. 10. l. Quo p. 14.  
l. 24. l. valde p. 16. l. 8. post Pilato l. Romanorum  
p. 20. l. 19. l. convenienter ibid. lin. ult. l. Nam is p.  
21. l. 15. l. five vera, five falsa p. 22. l. 12. l. jam p.  
23. l. 15. del. ; p. 24. l. 7. l. luti. Id p. 25. l. 20. l. &  
adhuc p. 25. l. penult l. potest p. 27. l. 2. l. Hnetii sine  
com. ibid. l. 25. l. simile p. 28. l. ult. l. ἀκμῶν p. 31.  
l. penult. l. præruptorum p. 34. l. 16. pro com, pon.  
punctum p. 38. l. 16. l. detegendæ. ibid. l. 20. pro &  
l. se p. 43. l. 24. l. commodo. p. 44. l. 6. l. suscitaretur  
p. 46. l. 17. ante sed pon.) p. 65. l. 2. l. lætabundi ibid.  
§. 146. dictum Jes. leg. ut extat p. 154. §. 11. ibid. post  
liberatæ suppl. amplificationem p. 52. l. 5. l. urgente p.  
53. l. 3. l. a Juda p. 63. l. 17. l. contumeliis pro contu-  
maciis. ibid. ante Maxime pon. punctum. ibid. l. 19. l.  
hoc est, Ego &c. p. 71. l. 4. l. Sed nos p. 87. l. 15. post  
utimur pon. punctum p. 90. l. 15. l. vel legis p. 94.  
post promissam. del. com. p. 96. l. 17. l. quæri p. 97.  
l. 6. l. arrogare ibid. l. 11. del. Deus p. 104. l. 1. l. le-  
gem Mosis p. 105. l. 22. l. ædif. p. 112. l. cog. ibid. l.  
24. l. ipsiusque p. 123. l. 20. post *sapiens est* suppl. &  
*adducit malum* p. 135. l. 14. l. gloriosissimoque p. 137.  
l. 2. l. adscensione p. 142. l. 2. l. itin. p. 147. §. 56.  
l. cum eum instigamus p. 152. l. 11. l. ejusdem fierent,  
p. 153. l. 6. post hic pon. comma p. 157. l. 6. l. illi p.  
158. l. 3. l. scortantium furorem p. 162. l. 23. l. Dei  
& Ecclesiæ reponatur. licet p. 172. l. 7. l. non mo-  
do p. 173. l. 2. l. læta voce p. 174. l. 2. l. eam.

Cetera errata, præsertim quæ p. 32. in  
Græcis Eusebii verbis occurrunt benevolò  
Lectori corrigenda relinquimus.




ata.  
p. 14  
orum  
um in p.  
m p.  
zu l. &  
eti sine  
p. 31.  
n. pon.  
pro &  
caratur  
i ibid.  
d. post  
nte p.  
oortu-  
19. l.  
5. post  
94-  
ip. 97.  
t. l. le-  
ibid. l.  
pph. &  
p. 137.  
§. 16.  
ferant,  
l. illi p.  
3. l. Dei  
ommo  
32. in  
orato







Fr. Reppien,  
Buchbinder  
in  
ROSTOCK  
bey der Marien-Kirche.




Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn796630526/phys\\_0176](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn796630526/phys_0176)

DFG





the scale towards document

olorum. 177

nimadvertis, Papam  
 cripturam sibi subji-  
 istum illum, qui in  
 , confidere, seque ip-  
 t Deus, & μυστήριον  
 cessionis a Lege Dei  
 2. Theff. II. 4. 7.

vides, Episcopus tu-  
 ab ore suo depende-  
 fidem spectantibus,  
 um ψευδοδιδασκάλων,  
 m Petri, praterinve-  
 iales quibus Herum,  
 abnegaturi, celerem-  
 uri essent, quorum pe-  
 , propter quos via ve-  
 et? 2. Epist. cap. II.  
 , dum assumunt cor-  
 h. e. Scripturas V.  
 anquam potentissimis  
 utitur πρὸς καθαίρεση  
 ionem munimentorum  
 i mundum, profiten-  
 ere jactant, loqui ut  
 XIII. 11. se transfor-  
 cis? 2. Cor. XI. 14.

n, nondum deprehen-  
 2 dis,